UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Syntagma Ivris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||

**Grégoire, Pierre**

**Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.**

**VD16 VD16 G 2999**

Liber XII. De tutoribus, & tutelis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-97739

Visual Library

adipiſceretur, vt auctores Dionyſius Halicarnaſſæus, *in* 2. Gellius *lib. 1. c.* 12 & alii.

9 ¶ Tertio ſoluitur † emancipatione poteſtas, dum pater coram magiſtratu legitimo profitetur, ſublatis antiquorum circuitibus de quibus ſupra diximus, ſe eum e poteſtate manuve ſua mittere, *l. pen. & fin. de eman. liber. C. §. præterea, quib. mod. ius patr. pot. ſol.* Trina autem emancipatio adhoc, vt plene iuris ſui eſſet filius olim requirebatur lege duodecim tabul. in filiis primi gradus. Ceteri autem liberi, præter filium, tam maſculi, quam fœminæ, vna mancipatione & manumiſſione ſui iuris fiebant, vt ait Vlpian. *in tit. ex corpore iuris, tit. 10.*

10 ¶ Quarto, † lex eſt Numæ *Dio. Hali. in 2. Si pater permiſerit filio vxorem ducere, futuram bonorum & ſacrorum iuxta leges participem, patri poſthac nullum ius eſto vendendi filium.* Vnde ex eo imminuta, & ſi non ſublata cenſeatur poteſtas. Et nunç in Gallia ex conſuetudine quorundam locorum, filius ducens vxorem habetur pro emancipato, & vt ſui iuris in omnibus acquiſitionibus, vt apud Bituriges *in conſuet. Bitur. tit. de iur. & ſtat. perſo. §. 2.* Et hanc conſuetudinẽ & ſtatutum ſi fiat hac de re valere ait Bartolus, *l. ſi maritus. §. legis Iuliæ, ad l. Iul. de adult.* Receptumque conſuetudine Senenſi, *Couſtum, de ſenſ. tit. de Bail. art.* 148. Bleſenſi, *Couſtum, de Blois, tit. de l' eſtat des perſon. art.* 1. Burgundiæ, *Bourgoge tit. des enfans de pluſie. litz, §. 3.*

11 ¶ Quinto, † tacite præſumitur emancipatus filius, ſi pater eum diu paſſus ſit res eius, vt patremfam. gerere ex reſcripto Antonini *l. 1. de eman. liber. lib. 8. tit.* 47. Paulus autem Iuriſcon. *in l. ſi cum fideicõmiſſa. 16. §. Ariſto. qui & a quib. manum. lib. non fiant, li. 40. P. tit. 9. Diu* verbum decenniũ interpretatur, ad præſcribendam libertatem ſufficiens tempus, quando manumiſſio a non habente poteſtatem facta fuit. Sine autem manumiſſione Diocletia. & Maximianus bonæfidei poſſeſſionem pro libertate viginti annos præſcribtõ, *Diocl. & Max. in l. 2. de long. temp. præſcr. quæ pro libertate, non contra libertatem opponitur, libr. 7. C. tit. 22.* Et ita hodie ſeruari tradunt Andr. Barbatia, *in l. ſciendum, col. 26. in fin. verſi. & adduco. de ver. oblig.* Baldus *in l. poſt mortem, de adopt.* filiumfam. qui per viginti annos ſeorſum a patre habitauerit negotiando, vt emancipatus, pro emancipato haberi. Meminit & Conſt. Harmonopolus *lib. 1. propt. iur. tit.* 18. nouellæ conſtitutionis Cæſaris Leonis, qua filius habetur pro tacite emancipato, qui non contradicente patre, ſibi certum & ſtabile viuendi genus delegit, ſi res ſuas prudenter & ſtudioſe gerenti minime aduerſatus eſt, per ſe viuere eum permittens, quamuis necdum ad eam peruenerit ætatem, qua matrimonium contrahere poſſit. Quia ex diuturnitate temporis omnia præſumuntur ſolemniter acta, omniaque neceſſaria ſolemnitati ſupplentur, vt in aliis, *l. qui in aliena, §. ſed ſi non, de acq. her. in P. l. cum de in rem verſo, de vſur. l. hoc iure, §. ductus aquæ, de aq. quotid. & æſti. l. 1. §. denique, de aq. plu. arc. l. ſciendum, de verb. oblig.* Et ideo non officit reſcriptum Dioclet. & Maximiani, *l. non nudo 3. de emancip. libero, lib. 8. C. tit. 49.* quo deciditur, non nudo conſenſu patria poteſtate liberos, ſed ſolemni actu liberari: nam hoc ſilentio paterno, neque nudus conſenſus, ſed ſolemnis præſumitur. Sed & hic tempore breuiori ex conſuetudinibus ſingulorum locorum liberari poteſtate obſeruabis, veluti ſi per annũ Burdegalæ ſeorſum filius habitauerit a patre, *§. 2. de ſtat. perſ. in conſuet. Burdeg. & ibi Ferronus.* In Burgundia quoque ſeorſum a patre habitans, pro emancipato habetur, *in conſuet. Burg. tit. des enfans, de pluſi. lictz. §. 3.*

¶ Sexto † tradunt Interpretes, *Bal. in c. 1. §. 1. de duob. fratri. Alexand. in l. ſi qui teſtam. fac. poſſ. & alii ſupr. citati,* ex generali conſuetudine Galliarum maiorem 25. annis poſſe eſſe in iudicio, vt ſupra diximus in effectibus huius poteſtatis, ſine auctoritate patris, poſſe teſtari, codicillari, & contrahere, eo quod habeatur pro emancipato, taliſque reputetur. 12

¶ Poſtremo † ſoluitur patria poteſtas morte naturali filii, aut patris, dummodo poſtea nepos incidat in aui poteſtatem, *§. 1. quib. mod. ius pat. po. ſol. l. nepotes. de iis qui ſunt ſui vel alien. iur. in P.* quæ & in morte ciuili contingente locum habent, §, *cum autem, quib. mod. ius pat. pot. ſol. l. ſi qua pœna, de iis qui ſunt ſui vel alien. iur.* Suſpenditur autem poteſtas capto patre ab hoſtibus, *l. in bello §. ſi quis capiatur, de capti. P. §. ſi ab hoſtibus, dict. tit. quib. mod. ius. Vlpian. in tit.* 10. nam & eo poſtliminii iure reuerſo, eandem recipit: Sicuti & deportatus reſtitutus *l. fi. §. minores, de ſenten. paſſ. reſtit. libr. 9. C, Si patri,* inquit Vlpianus *in fragmen. ſeu titul. tit. 10. vel filio aqua & igni interdictum eſt, patria poteſtas tollitur, quia peregrinus fit is, cui aqua & igni interdictum eſt. Neque autem, peregrinus ciuem Romanum, neque ciuis Romanus peregrinum in poteſtate habere poteſt.* 13

# DE TVTORIBVS ET TVTELA LIBER XII.

## De Tutoria poteſtate, & Tutelis in genere. Cap. 1.

Lib. 1. Inſtit. tit. 13. Lib. 5. C. tit. 28. Lib. 26. P. tit. 1.

1 *Continuatio libri.*
2 *Perſonarum alia diuiſio, in eas quæ in ſuam tutelam venerunt, Et quæ non venerunt, & quæ tutelam aliorum habent.*
3 *In tutela ſua qui ſunt.*
4 *Pupillus, & impubes quis dicatur.*
5 *Orphanus quis.*
6 *Tutores qui, & quare, & tutela.*
7 *Tutelæ perſonarum cur introductæ rationes, primaque a naturali hominum omnium coniunctione.*
8 *Tutela ſeu curatio diuina & humana. Humana alia inuitis, alia volentibus imperat.*
9 *Tutela & cura minorum & ſubditorum in vtilitatem eorum inducta.*
10 *Tutorum & curatorum fides maxime cur deſiderata.*
11 *Pupilli alendi, vbi ſine ſuſpicione ali poſſunt.*
12 *Pupilli pupillæue a tutoribus debent inſtrui, & moribus bonis erudiri.*
13 *Tutela proſpicit & rebus minorum.*
14 *Q. Fabii Maximi filio ob prodigalitatem bonis interdictum.*
15 *Tutor Senatori prodigo, vt pupillo, datus a Tiberio.*
16 *Tutores etiam filiabus puberibus dati.*

1 SVblata † e medio vel e viuis patria poteſtate, diximus filios ſui iuris effici: hoc tamẽ aliam recipit interpretationem. Vt interdum non plene ſui iuris efficiantur, aliquando plene. 2 ¶ Atque † ideo alia diſtinctio perſonatum conſideranda eſt, ratione ætatis filiorum poteſtate liberatorum: vt perſonæ aliæ dicantur in ſuam tutelam perueniſſe, aliæ ſub tutela alterius eſſe, aliæ curam & tutelam aliorum habere. 3 ¶ In ſuam † tutelam perueniſſe dicuntur, habita ratione & ſtatus eius, de quo ſermo habetur, & mentis eius qui loquitur, minores & impuberes quidem puberes facti. At pubes tutelam ſuam adeptus dicetur, qui ad legitimam 25. anno. ætatem peruenit: in furioſo, prodigo, & eo cui ob cauſſam prætor curatorem dedit, quando cura & tutela liberatur. Interdum & in filiofa. is in tutelam ſuam perueniſſe dicitur, qui etiam in ſuam poteſtatem venit, id eſt, quando a patris liberatus eſt poteſtate, & pubes fit, vt omnia proſequitur & explicat Vlpianus *in l. cum filiofam. 48. de legat. 3. lib. 32. P. tit. 1.* Proprie tamen & ſimpliciter in ſuam tutelam peruenit, qui eius ætatis eſt, quæ amplius tutore non indiget, ſi maſculus ſit 14. ann. & fœmina viripotens 12. *Paul. l. ſi filiæfamilias 49. eod.* Ea enim ætate finitur, vt docebimus Deo fauente poſtea tutela.

4 ¶ Porro † qui intra eam ætatem eſt, pupillus eſt, ſeu impubes dictus, ſiue ſit in poteſtate patris, *l. fin. §. ſi pupillus, de verb. oblig. in P. l. ſi infanti, §. pen. de iur. deliber. lib. 6. C.* ſiue extra poteſtatem: ſiquidem vox communis eſt a puppo, id eſt, puero & minore declinata. Verumtamen cum alio nomine dicatur, qui in poteſtate patris ſit communiter, qui caret & eſt priuatus intra illam ætatem cura & officio patris, pupillus dicitur. Et ita cum Pomponio IC. *l. pupillus eſt 239. de verb. ſign. lib. 50. P. tit. 16.* pupillus eſt, qui cum impubes eſt, deſiit in patris poteſtate eſſe, aut morte, aut mancipatione. 5 ¶ Orphanum † vocant Græci, quod

tamen

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

tamen nomen D. Hieronymus ei adſcribit qui patre & matre
quoque caret.
6 ¶ At † qui in locum parentum, intra eam ætatem ſubſtituun-
tur, vt curam habeant perſonarum pupillorum, & bonorum eo-
rum, tutores dicuntur, quaſi tutores. *§. tutores, de tutel. ap. Iuſtin.*
*Pla. lib. 11. de legib. l. tutoris præcipuum officium, de admin. tutor. lib.*
*26. P. tit. 7. l. fin. eod. tit. C.* & munus ipſum, quod gerunt & offi-
cium, tutela. Quanquam & ad aliam ætatem, ſed tamen minus
proprie träsferatur appellatio tutoris & tutelæ: nam ratione ge-
neralis ſignificationis nominis tuitionis, quicunque etiam alios,
quam impuberes defendunt & tuentur, dici poſſunt tutores, vt
& aliquando eo nomine curatores ſignificantur cuiuſcunq; ge-
neris; & tutelæ pari modo appellatio generalis eſſe poteſt, ad o-
mnem defenſionem, quam idoneus pater fam. faceret, *l. genera-*
*liter 11 de adminiſt. tut. lib. 26. P. tit. 7.* Sic tutelam corporis dixit
Florentinus Iuriſc. *in l. 3. de iuſt. & iur.* Et Cicero *pro Murena,*
*& Cæcin.* mulieres ait fuiſſe olim in perpetua tutela, propter in-
firmitatem conſilii. Nam, vt ait Liuius *lib. 34* maiores noſtri vo-
luerunt, eam nihil neq; priuati negotii ſine tutore agere. Nunc
porro non de illa generali defenſione, ſed impuberum, inſtituta
eſt nobis tractatio.
7 ¶ Cur autem † placuerit tutelam hanc perſonarum introdu-
cere, audiamus rationes. Prior itaq; ex naturali hominũ mutua
coniunctione pendet: cum enim natura cognationẽ quandam
inter omnes homines conſtituerit, *l. 3. de iuſt. & iur. P.* intereſt
etiam hominis alium ope egentem affici beneficio, *l. ſeruus ea le-*
*ge, de ſeruis export. in P. & 2. officior. Cicer. explicat.* & a ſapientio-
ribus imprudentes regi. Sicuti enim a ſuperioribus pendent in-
feriora, prouidentia & tutela diuina. Sic inter inferiora qui ſibi
proſpicere nequeũt, ab aliis regantur, aliiſue ſubiiciantur ad eo-
8 rum, & quæ illorum ſunt conſeruationem, expedit. ¶ Sic † Pla-
to *lib. de regno, vel in ciuili* curatorem diuinum, & humanũ con-
ſtituit curatorem: & rurſum, curationem humanam in eam quę
inuitis, & eam quæ volentib. proſpicit & imperat, diuidit. Impe-
rat inuitis etiã publice Rex & tyrannus, ſed Rex vt plerunq; vo-
lentibus, iſte autem ſemper renuentibus vi. ¶ In priuata † cura-
tione dominus & tutor proſpicit, ſed ille fere ex arbitrio, hic ex
9 legis præſcripto, & vt pater filiis, & Rex bonus ſubditis. Si recu-
ſent autem pupilli & inuiti ſubiiciuntur: & proinde D. Paulus
dixit, *ad Gal. c. 4. Quanto tempore heres paruulus eſt, nihil differt a*
*ſeruo, cum ſit tamen dominus omnium bonorũ ſed ſub tutoribus quod*
*& curatoribus eſt vſque ad tempus præfinitum a patre.* Habenturq;
tutores quod pertinet ad prouidentiam pupillarem loco domi-
norum, ex reſponſo Pauli IC. *l. tutor qui tutelam 28. de admin. tut.*
*lib. 26. P. tit. 7.* Et naturali iuri conueniens eſt, vt ii qui perfectæ
ætatis non ſunt, alterius tutela regantur, *§ fi. de Attil. tut.* Sic Ci-
cero *1. offic. vt tutela, ſic procuratio reip. ad vtilitatem eorum, qui*
*commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa gerenda eſt.* Quod &
de curatoribus dictum fuiſſe intelligo, qui & dati videntur; vt o-
pem ferant iis, qui per ætatis infirmitatem rebus ſuis pertractan-
dis vel ſibi non ſufficiunt, *d. l. quod ſi forte 14. §. pen. de ſol. P. l. non*
*quaſi ipſo iure 4. §. fi. rem pupill. ſal. for. in P* aut propter conſilii ſeu
mentis inopiam *§. furioſi, de curat. lib. 1. Inſtitu. tit. 23. l. conſilio, de*
10 *curat. fur. C.* ¶ Solent † & idcirco parentes, quibus data eſt libe-
ra poteſtas deligendi filiis ſuis tutores, qui poſt mortem eorum
paternum hoc officium præbeant, eligere amiciſſimos & fideliſ-
ſimos, vt ſcribit Paulus, *l. amiciſſimos 39 de excuſ. tut. lib. 27. P. tit.*
*1.* Lexque & mores pariter ab hoc officio maximam fidem repo-
ſcunt. Quamuis enim quæſitum fuerit cum maxima controuer-
ſia & diſceptatione ſeniorum & ſapientum, de gradu & ordine
officiorum in homines: conueniebant tamen facile, conſtabat-
que ex moribus populi Romani, primum iuxta parentes locum
tenere debere pupillos fidei, tutelæque noſtræ creditos: ſecun-
dum eos, proximum locum clientes habere, qui ſeſe itidem in
fidem patrociniumque noſtrum dederunt: tum in tertio hoſpi-
tes: poſtea, cognatos, affines, vt eſt apud Aulum Gellium *lib. 5. c.*
*13.* Et Plato *lib. 11. de leg. Qui fœminam,* inquit, *maremve tutatur,*
*& qui de legum cuſtodibus,* id eſt, *de magiſtratibus, tutorem obſerua-*
*re iuſſus eſt, non minus orphanos, quam ſi genuiſſet eos, diligat, neque*
*res illorum ſecus quam ſuas gubernet, imo etiam affectu animi melius.*
11 ¶ Quo fit, † vt omnis ſuſpicio ſiniſtra debeat in hac adminiſtra-
tione & poteſtate tolli, decretumque ſit, ſibi alendum tantũ pu-
pillum & apud eum, de cuius fide non dubitetur, ex affectionis
vel propinquitatis propenſa ratione, *l. 1. & 2. vbi pup. educ. deb. in*
12 *P. l. 1. & 2. de alimen. pupill. præſtan.* ¶ Altera † ratio tutelarũ pu-
pilli mores reſpicit: quod interſit reipub. bonos habere ciues &
probos, & idcirco in iuuenili ætate eruditione proba informari,
vt tales in viros euadant, qui reipub auxilio & honori ſint. Illud
autem congruentius aſſequi nõ poſſumus, quã præficiendo im-
puberibus rectorem domeſticum, nempe patre orbatis, aliũ qui
eorum curam obeat: datur enim potiſſimum perſonæ, *§ datur, de*
*excuſ. tut. cum ſimil.* & poſtmodum ex conſequentia rebus eiuſ-
dem. Quamobrem tutoris munus præcipuum procurare pupil-
lum inſtitui bonis moribus & diſciplinis, vel artificio, *l. cum plu-*
*res, §. cum tutor, de admi. tut. l. fi. C. de aliment pup. præſt.* imo & pu-
pillam olim liberalibus diſciplinis erudiendam tradere moris e-
rat, *l. qui filium, vbi pup. educ. deb. in P.* eaſque pupillis imputat
expenſas, veluti legitime factas tutor, *l. 2. de alend. l b. l. 2. de ali-*
*men. pup. præſt.* ¶ *Omnis ætas,* inquit Concilium Toletan. *in can.*
*omnis ætas, 12. q. 1. ab adoleſcentia in malum prona eſt, ideo ſi aliqui in*
*clerico pupilli exſiſtunt, ſacerdotali tutela foueãtur, vt & vita eorum*
*a criminibus intacta ſit & res eorum ab iniuria impiorum.* ¶ Tertia
ratio † proſpicit rebus per tutoriam adminiſtrationem. *Melius* 13
*enim,* inquit Iuſtin. *in l. fi. §. ipſum autem filium, verſi. melius, de bon.*
*quæ liber. C. eſt, iniecta poteſtate alterius, iuueniles coarctare calores:*
*ne cupidini dediti triſtem ſentiant exitũ, qui eos per diſperſum ſequi-*
*tur patrimonium.* Meliuſq; eſt proſpicere & occurrere periculo
abalienationis illicitæ patrimonii, quam poſt diſperſum reſtitu-
tioni in integrum operam & auxilium impartiri, *l. fi. in quib. re-*
*ſtit. non eſt neceſ. l. 1. quan. lic. ſine iud. ſe vind.* Et intereſt reipub.
ne quis re ſua male vtatur, *§ fi. de iis qui ſunt ſui vel alie. iur. l. 2 eod.*
*in P. l. ſeruum, §. publica de Proc. in P,* nam bonum publicum re-
ſpicit conſeruatio rerum, vt in vſucapione obſeruatum eſt *l. 1. de*
*vſucap. in P.* ¶ Qua † ratione legimus, Quintum Pompeium 14
prætorem vrbanum, Q. Fabii Maximi filio degeneri bonis in-
terdixiſſe paternis. Neque in tanta ciuitate qui illud decretum
reprehenderet inuentum fuiſſe. *Dolenter enim,* inquit Val. Max.
*lib. 3. c. 5. homines ferebant, pecuniam, quæ Fabiæ gentis ſplendori ſer-*
*uire debebat, flagitiis deiici: ſic quem nimia patris indulgentia here-*
*dem reliquerat, publica ſeueritas exheredauit.* Scribit † & Dio Caſ- 15
ſius *lib. 57. circa fin.* Tiberium Cæſarem Senatori cuidã luxurioſe
viuenti tutorem quaſi eſſet pupillus dediſſe. Vlp. in tit. 11. *Tuto-*
*res,* inquit, *conſtituuntur tam maſculis, quam fœminis: ſed maſculis*
*quidẽ impuberib. dũtaxat, propter ætatis infirmitatẽ: fœminis aũt tam*
*impuberibus, quam puberibus, propter forenſium rerũ ignorantiam.*

## De Finitione Tutelæ, Cap. 2.

1 *Tutela quid.*
2 *Tutoria vis ad quid cogat.*
*Tutor inuitus fit, & inuito datur, eod.*
*Curator non vtique.*
3 *Tutela, quare potius poteſtas in capite libero, quam in caput libe-*
*rum dicatur.*
4 *Tutor vel curator ſeruus eſſe nequit nec ſeruis datur.*
5 *Tutoris auctoritas quid, & quare conceſſa.*
6 *Tutor rerum & perſonarum curam habet pupillorum, curator*
*potiſſimum rerum.*
7 *Auctoritas tutoris in quib. negotiis pupillorum non exigitur, &*
*exigatur.*
8 *Auctoritas tutoris eſſe debet præſentis & intelligentis tutoris, ra-*
*tumque habentis.*
9 *Auctoritas & conſenſus tutoris duo ſunt, quæ ſeparari poſſunt.*

T*Vtela, † eſt vis & poteſtas in capite libero, ad tuendum eum, qui* 1
*propter ætatem ſe defendere nequit, iure ciuili data vel permiſſa,*
*l. 1. de tutel in P. §. eſt autem tutela eod. ap. Iuſtin.* Quæ finitio Seruii
IC. eſt abſoluta, totam ſubſtantiam definiti continens, totiuſq;
materiæ & formæ tractationis tutoriæ ſeriem. ¶ Vim † in primis 2
habet cogentem tutela, quia & inuitus fit tutor, *§. ſed ex his, de*
*Attili. tut. apud eundem. Vlp. l. 1. de adminiſt. tut. lib. 26. P. tit. 7.* &
inuitus accipit tutorem, *Vlp. l. nec non 6 de tut. & cur. da. ab iis &c.*
*eod. lib. tit. 5.* Et ideo ille, ſi ſe non excuſauerit a tempore quo ſci-
uerit ſe datum, etſi non geſſerit, obnoxius eſt tutelæ, *dict. l. tutor,*
*19. & l. & ſi ſciſſes 8. de adminiſt. tutor. lib. 5. C. tit. 38. quidam dece-*
*dens 6. §. fi. eod. tit. in P.* hic autem nec ſibi eligere tutorẽ poteſt,
*l. 2. tut. in P.* In quo differt a pubere, qui curatorẽ poteſt ſibi deli-
gere, *l. 3. § ſi pupillus, eod.* Etſi cogatur aliquẽ accipere, *§. item inui-*
*tis, de cur. ap. Iuſtin.* Proinde geſta a tutorib. perinde rata ſunt, ac ſi
a dominis ipſis maiorib. factis pupillis gererentur, ſiue cũ præiu-
dicio, ſiue cum cõmodo illorũ fiant, *l. cum plures, §. 1 de admin. tut.*
*in P.* Vſq; adeo, vt facto & negligẽtia tutoris, pupillus immeritus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ali: quin priuetur delata ſibi & debita ſucceſſione: tenetur ta-
men idem tutor damnum omne pupillo reſarcire, *l. Polla. §. fi. de
iis quibus vt indign. C. l. ſi tutoris vel curatoris culpa, de adminiſt.
tuto. lib. 5. C.* Eoque pertinet actio tutelæ, de qua, ſi Deus permi-
3 ſerit poſtea. ¶ Dicitur † in finitione poteſtatem in capite libero
tutelam eſſe, vt a ſeruili, de qua ſuo loco, differre intelligamus.
Et, vis & poteſtas in capite libero hic, loco generis ſunt: Nam
non ſolum pupilli liberi ſunt ſub poteſtate, ſed etiam filii alii, vt
diximus, & vxor in poteſtate mariti. Reliqua, ad tuendum eum,
&c. loco differentiarum ſunt. Dixit autem in hac finitione Ser-
uius, in capite libero, non vt alii volunt, in caput liberum, ſicut
Theophilus exprimit *in §. atq; in primis, de tut. lib 1. Inſti. tit. 13.* In
eo enim minus dixiſſe, quam Seruii finitio apud Vlpia. & apud
Iuſtin. referat Vlp. *l. 1. de tutel. in P. §. 1. eo. ap. Iuſtin.* videtur: ſicuti
& in eo ꝙ nõ meminit in ea finitione de data, ſed de permiſſa tã-
tum tutela. Verba Theophili hæc ſunt, *Tutela eſt, vt Seruius de-
finit, ius quoddam ac poteſtas in liberũ caput data, & ad tuendũ eum
innẽ a, qui per ætatis imbecillitatẽ ſe defendere nequit, iure ciuili per-
4 miſſa.* ¶ Dico igitur † latius patere verba in libero capite, quam
in liberum caput: quia & qui tutorem ſeu curatorem accipit, li-
ber vel ſtatuliber, non ſeruus eſſe debet, *l. ſi qui, & l. ſi impuberi,
de tutor. & curat. dat. ab his, &c. in P.* & qui tutor curatorve etiam
datur, *l. in ſeruili conditione, qui da. tut. vel cur. poſſ. C.* Nam iis, qui
ſerui ſunt, ſatis proſpectum eſt dominica poteſtate, tutelaque
eorum penes dominos eſt, *l. 1. de iis qui ſunt ſui vel alien. iur. l. item
ap. Labeon. §. prætor ait, de iniur. in P.* eamque oportet manere do-
minis imminutam, *l. 2. d. tit. de iis qui, §. pen. eod. ap. Iuſtin.* Si autem
ſeruum liberis ſuis tutorem relinquat, intelligitur quoque ei li-
bertatem reliquiſſe, *§. 1. qui teſtam. tutor. dar. poſſ. ap. Iuſtin.* nam
conceſſo conſequente, & antecedens quo ad id perueniri poteſt
tantum, conceſſum exiſtimamus, *§. idem iuris, quibus ex cauſ. ma-
nu. non lic. l. fin. de offic. eius cui manda. eſt iuriſd. in P.* Niſi quis eum
ſeruum tutorem dederit, quem liberum exiſtimaret: tunc enim
nec liber nec tutor erit *l. quis tutorem de teſt. tutel. in P.* ¶ Adiici-
5 tur † finitioni *ad tuendum eum, &c.* Hinc tutores a tuendo dictos
monui: tuitio autem eſt auctoritas ea ratione & contemplatio-
ne conceſſa vt toties adhibeatur, quoties opus eſt: hæcq; in po-
teſtate conſiſtit, etſi in actum non perueniat tuitionis, id eſt, etſi
non interponatur. Poteſt namque aliquando ad eum modum
compoſitum eſſe patrimonium pupilli, vt interpoſitione aucto-
ritatis non indigeat *l. qui tutor negotia pupilli, eod.* Auctoritatem
autem præbere nihil aliud eſt, quam probare quod geritur, *Paul.
l. 3. eod.*
6 ¶ Quem † defendit principaliter & tuetur tutor, pupillus
eſt, *§. datus, de excuſa. tuto. §. certæ, qui teſt. tut. dar. poſſ.* acceſſorie
quoque & eius res, vt nec deductis reb. eius vel certis teſtamen-
to dari poſſit, *Vlp. in l. certarum 12. cum 3. ſeq. de teſtament. tut. lib.
24. P. tit. 2. iuncta l. propter litem 24. §. fin. de excuſa. tut. lib. 27. P. tit.
1.* Qua nota etiam differt tutela a curatela, quod illa & vniuerſo
patrimonio etiam detur: iſta autem, & certarum patrimonii poſ-
ſit eſſe *§. item inuiti, de cura. & §. certæ, qui teſt. tut. dar. poſſ. l. & ſi
ad ſpecies curator datus ſit, rem pup. ſal. fo. in P.* Et in ſumma, tutor
omnibus quæ nocere vel damno eſſe poſſunt pupillis, ſi geſta
vel contemta, negligenterve pertractata fuerint, adeſſe debet.
7 ¶ Colligimus † autem contraria concluſione, in his quæ mi-
nor ſine incommodo gerit, & quæ fiunt cum ſuo compendio,
non valde neceſſario aut omnino ad actum firmandum non exi-
gi tutoris auctoritatem, *§. 1. de auct. tut. §. pupillus. de inutil. ſtipul.
l. contra iuris regulas, de pactis P. l. Iulianus, §. ſi quis a pupillo, de
actio. emt. P. l. 1. & 2. de auctorit. præſt. lib. 5. C. tit. 54. Caius. l. ob-
ligari, l. 9. de aucto. tut. in P.* vtpote ceſſante ratione tutelæ, *l. adi-
gere, §. quamuis, de iure patron. c. cum ceſſante, de appellatio. apud
Gregor.* quæ ad defendendum & tuendum inducta eſt. Neue
quod in fauorem illorum conſtitutum indultumve eſt, in eo-
rundem conuertatur iniuriam, *l. quod fauore, C. de legibus.* In A-
diaphoris tamen & dubiis actibus, num vtilitas vel incommo-
dum gerentibus pupillis poſſit accidere, ſatius erit iuxta le-
gum præſcripta, non pupillis ſolis fidere, qui ſpecie apparentis
commodi poſſent ex conſequentia damnis inuolui, ſed in his in-
tercedere & præire tutoris auctoritatem. Veluti ſi de adeunda
hereditate agatur, *§. neque tamen, de auct. tuto. l. obligari 9. §. pu-
pillus, eod. P. l. potuit. C. de iur. delibe. l. pupillus ſi fieri poteſt. de acq.
hered.* quæ videtur opipara & locuples, cum tamen poſſit habe-
re cæcum & latens æs alienum, vel litium & expenſarum inex-
plicabiles labyrinthos. Intereſt autem minorum ſumtibus & li-
tibus non vexari, vt Vlpianus tradit, *l. minorib. 25. ann. l. 6. de min.
25. ann. lib. 4. P. tit. 4.* Quod & de aliis actionibus iudicialibus
inſtituendis reſcriptum eſt a Iuſtiniano, *l. clarũ 4. de auctor. præſt.
lib. 5. C. tit. 50. facit l. 1. & 2. qui leg. perſ. ſtan. in iud. hab. lib. 3. C. tit.
6. l. vniuerſis, 11. qui tuto. dar. poſ. lib. 5. C. tit. 44. Cum cautius,* in-
quit, *& melius ſit, cum ſuaſione perfectiſſima & reſponſa facere mi-
nores, litemque inferre: ne ex ſua imperitia vel iuuenili calore, ali-
quid vel dicant vel taceant, quod ſi fuiſſet prolatum vel non expreſ-
ſum, prodeſſe eis poterat, & a deteriore calculo eos eripere.* Quocirca
negotia quoque, quæ cum animi iudicio fieri debent, non mi-
rum erit requirere tutoris quoque auctoritatem, *l. in negotiis cõ-
trahendis, & l. pupillus velle, de reg. iur.* Exceptis quatuor caſibus
notatis ab Accurſio *in §. nec tamen, in verbo, nec vllum, de aucto.
tut.* in quibus ſine tutore & curatore, minor iudicium ſubit, ſi a-
gatur de toro violato *l. ſi maritus. §. lex ad l. Iul. de adult. in P.* ſi de
momentanea poſſeſſione, *l. momentaneæ, qui leg. perſ. ſtan. in iud.
hab. C. l. 1. ſi per vim vel alio mod. C.* ſi de interdicto de libero ho-
mine exhibendo, *l. quod lex, §. ſed etſi mulier, de lib. homi. exhib. in
P.* ſi venia ætatis impetretur *l. 1. & 2. de iis, qui ven. æta. impetra.*
Quæ tamen magis ad adultos, quam pupillos mihi pertinere vi-
detur, excepta momentanea poſſeſſione. ¶ Ceterum † auctori- 8
tas præſentis & intelligentis eſt tutoris, qui gratum ratumque
habet quod agitur per pupillum in præſenti negotio, *l. 1. §. fi. &
l. 3. l. non multum intereſt 14. & l. obligari, §. fi. de aucto. tuto. in P. §.
tutor autem ſtatim, eo. ap. Iuſtin.* vel ſtatim fere poſtea, *l. ſi quis mi-
hi, §. iuſtum de acqui. hered.* nam poſt aliquam negotii geſti tem-
poris intercapedinem adhibitus conſenſus, non facit auctorita-
tem, *d. §. tutor autem, de aucto. tutor. cum ſimilib.* ¶ Cõſenſus † au- 9
tem ſine auctoritate eſt in his, in quibus minor nihil agit, ſed ipſe
tutor: vtrumque tamen & auctoritas & conſenſus, partem fa-
ciunt adminiſtrationis.

## De officio, cura, & adminiſtratione tutorum. Cap. 3.

1 *In omni tutela & cura conſiderantur res, perſonæ, & geſta: quomodo.*
2 *Tutoris auctoritas, quando in acquirendis rebus exigitur pupillo.*
3 *Tutores & curatores an pro pecuniis pupillorum ad vſuras non præbitis, vſuras aut quid præſtent vel pretium exactis pecuniis debitorum illorum.*
4 *Tutores & curatores eſſe appetunt, qui præda gaudent, non boni.*
5 *Tutoris & curatoris officium in conſeruandis rebus minorum, vel pupillorum quale.*
*Tutor repertorium ante adminiſtrationem facere debet, & niſi faciat, in quo tenetur eod.*
6 *Tutor repertorio facto debet geſtionis facere ephemeridem, vbi rationes conſcribat, recepta & expenſa, quas edat finita adminiſtratione.*
7 *Tutori remittere non poteſt pater rationum redditionem.*
8 *Geſta per tutorem non confecto inuentario, pro pupillis, & contra tolerantur.*
9 *Tutor reficere potius, & conſeruare res & ædificia pupillorum debet, quam noua incoare.*
10 *Tutoribus non conceditur adminiſtratio, niſi ſatiſdent rem pupilli ſaluam fore, exceptis teſtamentariis.*
11 *Tutoria ſatiſdatio quibus remittatur.*
*Satiſdatio tutoria quid, eod.*
12 *Tutores hodie etiam ſine ſatiſdatione in Gallia adminiſtrant.*
13 *Tutor ne publica vectigalia conducat, defendat pupillorum res, & pro eis agat.*
24 *Tutor rebus pupillorum debet diligentiam illam, quam ſuis bonis paterfam. adhibet.*
15 *Pupillorum & minorum res quomodo, & qua forma, & quando vendi poſſunt.*
16 *In alienatione rerum minorum requiritur cauſſa.*
17 *Item 2. auctoritas veri tutoris.*
*Tutor ſibi auctoritatem, cum pupillo gerens negotium, non præſtat directo, eod.*
18 *Item 3. alienatio rerum minorum exigit auctoritatem iudicis, & quæ ſit illa.*
*Sine decreto iudicis vendita pupillus repetit cum fructibus, etiam non reſtituto pretio: niſi in quantum locupletior, eod.*
19 *Decreti iudicis vim habet, in alienandis reb. minorũ reſcriptum principis: præſcriptio poſt 25. ann. quinquennii, aut 10. vel 20.*

*Item*

*Item & ratihabitio.*
20 *Dos conſtituta a minore ſine tutore nulla eſt.*
21 *Res minorum venditæ repetũtur, vel via nullitatis, vel deceptionis ſeu læſionis.*
22 *Tutores & curatores in vendendis fructibus & mobilibus minorum, tempus opportunum debent obſeruare.*

1 QVia † igitur defenſio ſeu tuitio verſatur in rebus & perſona
pupilli, & in ipſa perſona tutorum: in ſumma colligimus in
omni tutela conſiderari res, perſonas & geſtionem curæ. Agitur
autem hic, vel de rebus pupillorum acquirendis, vel de conſer-
uandis, vel de amittẽdis. In perſonis actiue, idoneos ad hanc cu-
ram ſubeundam, quiue poſſint excuſari, quiue reiici: paſſiue pu-
pillos ipſos. In geſtione, modum adminiſtrandi, qui connectitur
tractationi rerum & perſonarum.

2 ¶ In acquirendis † rebus, pupillo non ſemper neceſſaria eſt
auctoritas officiumq; tutoris, & niſi in his, in quibus veremur,
ne quidpiam ſubſit damni & detrimenti, vt proximo ſuperiori
capite monuimus, exemplo repudiandæ vel adeundæ delatæ
hereditatis *l. ſi ad pupillum 11. de auctor. tut. in P. l. cum in vna, §. tu-
tor, de appell. in P. cum ſimil.* & aliis, in quibus ſi quid minus com-
mode vel damno pupilli fiat, rependitur per adminiſtratorẽ il-
lum tutorem: vt furioſo, vel puberi a curatore, *d. l. ſi ad pupillum.*
3 ¶ Hac ratione † tutores a legibus, vt ſint, ἐνεργὰ χρήματα, commo-
nentur, & pecunias pupillorum ne ſteriles retineant concluſas,
ſed vel ſub fœnore mutuo idoneis dent, vnde augeri poſſint mi-
norum facultates: vel in emtionem prædiorum conuertant. *l. 3.
de vſur. pupil. lib. 5. C. tit. 36. Paul. l. ſi tutor conſtitutus 16. de admi-
niſt. tut. lib. 26. P. tit. 7.* alioquin vſuras ipſimet perſoluturi, vel ſi
idonei non ſunt, extra ordinem coercendi, vt ait Paul. *l. ob fœnus
50. eod.* Et idipſum locum habet, ſi ipſi pecunias in ſuos conuer-
terint vſus, *l. 1. de vſur. pupil. C.* vel neglexerint a conſociis exige-
re, *l. 2. C. eod.* Annotandum tamen hodie ex nouella Iuſtiniani,
*§. quoniam, tit. vt ii qui ſe oblig. perhib. hab. res min. &c. in auth. coll. 6.
conſtit. 2. auth. quæ eſt in prin. tit. C. de admin. tut.* neceſſitatem col-
locandi pecunias pupillares & adminiſtrationis minorum ad v-
ſuram, abiiſſe in deſuetudinẽ. Et melius eſſe ἄνεργα δάνεια χρήματα.
Cautumque nouiſſime, pecuniam illam non eſſe fœnerandam,
alioquin ſi fecerit tutor vel curator, mutui ſubiacere periculo,
niſi eius minoris, cuius ſuſcepta cura mobilis ſit ſubſtantia: tunc
enim ſolum curator ſeu tutor mutuare cogitur, quod ad diſpen-
ſationem ſufficiat adoleſcentis, eiuſque rebus: Iniungitur alio-
quin, vt eam caute recondat. *Quia*, vt Cõſtantinus ait *in l. lex quæ
tutores 22. §. huic accedit, de adminiſt. tut. lib. 5. C. tit. 37. ipſius pecuniæ
fœnerandi vſus, vix diuturnus, vix continuus & ſtabilis eſt: quo ſub-
ſecuto, intercidente ſæpe pecunia, ad nihilum minorum patrimonia re-
digũtur.* Cui accedere alia ratio poteſt periculi animæ, dum præ-
textu pietatis & officii in orphanos exercendi vetitis ſeſe impli-
cat vſuris, quam commemorat Iuſtinianus, *§. quoniam tit. vt ii qui
obli. perhib. ſe hab. res min. colla. 6. tit. 2. in Nouel.* his verbis. *Quo-*
4 *niã † videmus curatores, qui cunque Dei memoriam habent, ad cu-
ram difficulter accedere. (Nam plurimis volentibus ea quæ minorum
ſunt, impie in ſe vertere, amabilis eſt res & appetibilis.) Videmus aũt
difficilem eſſe curatorum cauſſam, propter fœneratorum neceſſitatem:
ſancimus nullam neceſſitatem ex legibus eſſe curatorib. minorũ pecu-*
5 *nias fœnerare.* ¶ In conſeruandis † rebus tutoris officium cautio-
nem maximam habet, officiumque eius verſatur in eo primum,
vt antequam adminiſtrationẽ ſeu tutelã ſuſcipiat, repertorium
ſeu inuentarium, apophaſim ſeu indicẽ bonorum faciat, aucto-
ritate & in præſentia perſonarum publicarum. *Iulian. l. tutor qui
repertorium 8. de adminiſt. tut. P. l. tutores vel curatores, C. eod.* alio-
quin vt ſuſpectus habetur & infamis *l. fin. arbit. tutel. C.* tãquam
doloſe verſatus, in quãtum pupilli intereſt factum non fuiſſe, ex
iureiurando minoris condemnatur, *d. l. tutor, qui repertorium.* Et
idcirco qui non vult indicem conſcribere, poteſt etiam vinculis,
ſi vilis perſona ſit, cogi, *Vlp. l. tutor 3. §. tutores, de ſuſpect. tut. lib. 26.*
6 *P. tit. 10.* ¶ Iura † autem modum & formulã inuentarii perficien-
di docent, *l. fi. §. fi. arb. tut. C. l. ſcimus §. ſin autem dubius, de iur. de-
libe. lib. 6. C. § ſancimus igitur, de hered. & falc. in auth coll. 1.* vt opus
non ſit plura de eo monere. Indicio bonorum teſtato facto, de
hinc adminiſtrationis gerendæ Ephemerides, in quib. rationes
& quæ recipit, quæ impendit, quæ gerit conſcribat, *Vlp. l. 1. § of-
ficio tut. de tutel. & rat. diſtrah. lib. 27. P. tit. 3.* Haſq; rationes tutela
finita edere & reddere cogitur. *§. fin. de Attil. tut. Modeſt. l. ſi ſine
hered. 33. §. Modeſtinus, in 2. adminiſt. tut.* Reddere enim debet
tutor, qui deponit tutelam, rationẽ de omnibus quæ fecit, cum
facere non deberet: item de his quæ non fecit præſtando dolum
& culpam, & quantam in ſuis rebus diligentiam, ſecundum Vl-
piani reſponſum, *l. 1. de tutel. & ratio. diſtrah.* ¶ Vt non poſſit † te- 7
ſtator ei quem inſtituit tutorem, hanc rationũ conficiendarum
& reddẽdarum neceſſitatem remittere, ſcilicet cauere, vt tutor
eſſet alogiſta: cum id ad ius publicum pertinere Iulianus reſpon-
derit *in l. ita autem 5. quidam decedens, §. 9. de adminiſt. tut. in P.*
¶ Et proinde † non poſſe priuatorum ſententia comminui, *l. ne- 8
mo poteſt, de leg. 1. l. ius publicum, de pact. in P. l. qui cum tutoribus, de
tranſact. P. cum ſimilib.* Tolerantur tamen geſta per tutores, quæ
ſine inuentarii confectione ſunt in iudiciis & extra, pro pupillis,
& contra pupillos, vt notat Guido Papæus *q. 330. vbi plura de re-
quiſitis ante adminiſtrationem tutoris.* ¶ Ad hanc † conſeruatio- 9
nem bonorum pertinet, antiqua ædificia minorum ſarta tecta
habere, & ne labantur fulcire, aut reficere, *d. l. lex quæ tutores, §.
ergo, de admin. tut. C.* ſicque potius ædificata expedit conſeruare,
quam noua incoare ædificia, *l. fi. de oper. publ. C.* ¶ Sed † & maio- 10
rem in modum cautum eſt conſeruationi rerum pupillorum, vt
non prius adminiſtratio illis concedatur, quam ſatiſdent tuto-
res rem pupilli ſaluam fore, *l. 1. 3. & fi. de tut. vel curat. qui non ſa-
tiſd. libr. 5. C. tit. 42. §. 1. de ſatiſd. tut. l. 1. 2. 3. 4. rem pup. ſal. fore, in P.
gl. in l. legitimos, de legit. tut. C.* demtis teſtamentariis, quorum fi-
des explorata a patre aliam probationem non exigit, *l. teſtamen-
to datos, de teſtam. tutel.* ¶ Niſi † ex pluribus datis teſtamento, v- 11
nus ſolus ſatiſdationem offerat, vt ſolus adminiſtret, *d. l. teſtam.*
Remittitur & ſatiſdatio patrono in tutela liberti, *l. legitimos, de
tuto. dat. ab iis, &c.* Satiſdare autem nihil aliud eſt, quam datis fi-
deiuſſoribus ſecurum aliquem facere, *l. 4. §. fi. de fideiuſſ. & nomi-
na. tuto. l. 1. 2. 3. eod.* Conſtringuntur namque pro ſatiſdatione fi-
deiuſſores, affirmatores, *l. 1. qui ſatiſd. cog.* & nominatores, *§. pen.
de ſatiſd. tuto.* tutorum: interdum quoq; & magiſtratus, qui non
idoneos admittunt tutores, diſtinctione tamen & temperamen-
to adhibitis, *l. 1. de magiſtr. conuenien.* Poſſunt enim magiſtratus
cogere ipſos tutores ſatiſdare, captis pignoribus, *§. fin. de ſatiſd.
tuto.* vt nõ immerito illis imputetur, ſi ſegniter id iuſſerint. ¶ Ve-
runtamen † Guido Papæus *deciſ. 330.* tradit, poſſe gerere tuto- 12
rem adminiſtrationem ſatiſdatione non præſtita, ex conſuetu-
dine curiarũ patriæ Delphinalis, quæ ſeruatur & toleratur. ¶ Ad
hoc † caput etiam pertinet, ne liceat tutori vel curatori penden- 13
te adminiſtratione tutelæ, vectigalia publica conducere, *l. vnic.
ne tut. vel cur. vectig. publ. conduc. lib. 5. C. tit. 41.* ne detrectet iu-
dicium nomine pupilli, ſed quoties opus erit, & defendat & in-
ſtituat, *l. 1. & 2. qui legit. perſ. ſtan. in iudic. hab. cum ſimil.* Scire quo-
que debent ſine ea auctoritate agentes, contra pupillos iudicari
non poſſe, & ſi pro illis poſſit, non interueniente tutore, *l. non eo
minus, C. de proc.* vel reſtituendum eſſe minorem, *l. penul. & fin. ſi
aduer. rem iudica.* ¶ Et in ſumma, † tutor & curator tenentur 14
in rebus minorum eam diligentiam & curam adhibere, quam
bonus paterfam. bona fide ſuis rebus adhibere ſolet, *l. generali-
ter & l. a tutoribus, de admin. tut. in P.* Demoſth. *orat. 3. contra A-
phobum. Idipſum obiicit in prima.* inter capita accuſationis ſuſpe-
cti Aphobi tutoris ſui, illud adiicit, ὅτι καὶ τὸν οἶκον οὐκ ἐμίσθωσε, τῶν νόμων κελευόντων, καὶ τοῦ πατρὸς ἐν τῇ διαθήκῃ γεγραφότος, id eſt,
*quod nec domum locauit, vt iubent leges, & teſtamento patris cau-
tum erat.*

¶ Quod autem † pertinet ad diſtrahendas res & tutoris ſagax 15
conſilium & auctoritas exigitur etiam, ſine qua pupillus nõ po-
teſt vendere, *l. pupillus obligari, §. pupillus vendendo, de auctо. tuto.*
ſed neque ipſe tutor paſſim poteſt, niſi obſeruata formula diſtra-
hendi a lege præſcripta, *Alexan. Imper. in l. tutela pupillorum 7. de
adminiſt. tuto lib. 5. C. tit. 37.* Forma porro conſtat, ex inſpectione
naturæ rei pupillorum, & ex ſolemnitatibus adhibendis. Natu-
ra rerum alia mobilium quæ ſeruando ſeruari nequeunt, alia in-
utilium, alia vtilium, alia immobilium. ¶ Olim † quippe ex o- 16
ratione habita vel recitata in ſenatu, *Vlpianus in l. 1. de reb. eorum,
qui ſub tutel. vel cura. ſunt ſine decret. non alien. vel ſuppon. lib. 27. P.
tit. 9.* prohibiti ſunt tutores & curatores prædia ruſtica vel ſub-
urbana diſtrahere, niſi id fieri parentes teſtamento cauiſſent,
*leg. prima quan. decret. opus non eſt, C.* etiam ſi irritum ſit factum
teſtamentum, cum ex eo de mente teſtantis appareat, *leg. fin. de
rebus eor. qui ſub tutel. in P.* et ſi tantũ æs alienum eſſet, vt ex reb.
ceteris non poſſet exſolui. Quo caſu prætor vrbanus erat adeun-
dus, vt exiſtimaret quæ poſſent alienari, obligarive deberent.
Cuius orationis prohibitio tracta eſt ad alia bona a Iuſtiniano, &
ad prædia vrbana, ſeu ædificia & ad mobilia, exceptis illis quæ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſe uando ſeruari nequeunt, *l. lex quæ tutores, de adminiſtr. tuto. C. l. final. ſi maior fact. alien. rat. habuer.* exceptis quoque neceſſariis
venditionibus ſolemniter & rite factis. Solemnes autem dicun-
tur illæ ſi concurrat primum cauſſa, quæ fieri venditionem co-
gat. veluti æs alienum pupilli, quod aliunde per inquiſitionem
iudicis conſtet, non poſſe extenuari: cum pupillus non habeat
in numerato pecuniam, non in fructibus conditis, non in redi-
tuum vel obuentionum ſpe, vel in nominibus vnde ſolui poſſit,
*Vlpian. l. magis puto, 5. §. non paßim, de reb. eor. in P. l. ob æs alie-
num. 12. C. de præd. & aliis rebus minor. lib. 5. C. tit. 71.* Huc perti-
net neceſſitas diuiſionis, ſi maior, qui rem cum minore commu-
nem habet ad diuidendum, pupillum vel eius tutorem prouo-
cet *l. 1. §. ſi communis res, de reb. eor. in P. Vlp. l. ſi pupillorum, eod. tit.
l. pen. de præd. & aliis reb. minor. C.* aut ſi creditor qui pignori a-
grum a parente pupilli accepit, ius exſequatur, *l. 2. ſi aduer. vend.
pig. C. l. 1. §. ſi communis, & l. ſi pupillorum 7. §. ſi pupillus, de reb. eor.
qui ſub tutel. in P.* ſitque de ſimilibus neceſſariis, *l. 1. de præd. & a-
liis reb. minor. &c. lib. 5. C. tit. 71.*

17 ¶ Deinceps, † cum cauſſa alienandi ſecundo exigitur perſo-
na & auctoritas tutoris veri, *l. vlt. §. ſi autem, ſi prop. publ. penſit. C.*
non falſi vel eius, qui pro tutore habetur, *l. qui neque 8. de reb. eor.
in P. l. 2. de eo qui pro tuto. ſe geßit. Cod. l. 3. de tuto. vel curat. qui non
ſatiſ. lib. 5. C. tit. 42.* Eam autem auctoritatem in negotio quod
cum pupillo gerit tutor, nō poteſt ſibi præſtare directo per con-
ſequentias tamen poteſt: vt adeundo hereditatem, cuius debi-
tor erat obligatus pupillo, *l. 1. de auctorit. & conſ. tuto. lib. 26. tit. 8.
l. quod dicimus 7. & l. pupilla, eod. l. cum quædam, de adminiſt. tut. C.*
18 ¶ Item † requiritur iudicis auctoritas, quæ cauſſas alienationis,
& æs alienum & debitum excutiat: decretum inquam eius, *l. ob
æs alienum 12. & l. ſi. & tot. tit. de præd. & aliis rebus min. C. l. ſi præ-
dia. 11. de reb. eor. qui ſub tutel. in P. l. ſi fundum 13. §. 1. eod. l. lex
quæ tutores. C. de adminiſt. tut.* quo prætermiſſo minor poſtea po-
terit vindicare alienata, nec tenetur pretium a tutore acceptum
refundere emtori, niſi in quantum ditior factus, & quantum in
ſuam vtilitatem conuerſum fuiſſe conſtiterit, *l. prædiorum 10. de
præd. & al. reb. min. C.* Atque non tantum rem tanquam ſuam
vindicat, ſed etiam & fructus: ſi emtor ſciuerit minoris fuiſſe, &
ita decretum omiſerit, *l. 2. & fin. ſi quis ign. rem mino. eſſe ſine decr.
compara. lib. 5. C. tit. 73. l. vni. de reputation. lib. 2. C. tit. 48.* omni
præſcriptione aduerſum pupillum ceſſante, *l. 1. d. tit. ſi quis igno.*
Neque ſufficit hic, cauſſas neceſſitatis venditionis proponere
iudici, niſi illæ ipſæ probentur apud acta, *l. minorum 6. de præd. &
aliis rebus minor. in P.* Partes autem iudicis in hoc negotio quales
ſint, ordine Vlpianus deſcribit, *l. magis puto 5. non ſemper, cum ſuis
verſic. de reb. eorum qui ſub tut.*

19 ¶ Vim tamen habebit † decreti & auctoritatis iudicialis, re-
ſcriptum principis permittens alienationem, *l. 2. quan. decre. opus
non eſt. C.* Sed & præſcriptio poſt 25. annos, incipit aduerſus ius
venditionis retractandæ ex defectu decreti: ſi poſt 15. annos æ-
tatis non conqueratur, de ea venditione, intra 5. annos cōtinuos:
aut de donatione intra decennium inter præſentes, & 20. inter
abſentes, *l. fin. ſi maior fact. alien. fact. ſine decre. rat. habuer. libr. 5.
C. tit. 54.* vel ſi expreſſe ratam habuerit, *l. 1. & 2. ſi maior fact. rat.*
20 *habuer. lib. 2. C. tit. 46.* ¶ Et hæc † quæ de venditione diximus,
ad omnem pertinere puta alienationem, qua pupilli res deſinit
eſſe, *l. non ſolum 4. ſi ad reſoluendam, l. 7. & 8. de præd. & al. reb. mi-
no. C.* Sicuti in ceteris iuris capitulis, *l. fin. de reb. alien. non alien. lib.
4. C. tit. 51. l. 2. de fund. dot. C.* Et nominatim Cicero, *pro Flacco,*
de dote conſtituenda ſine tutore, *Quæcunque ſine tutore auctore
eſt dicta dos,* inquit, *nulla eſt.*

21 ¶ Obſeruamus autem † in retractādis diſtractionibus rerum
immobilium minorum, ſine ſolemnibus factis, methodum du-
plicem, qua iudicium de illis interpellatur. Nam aut nullā ven-
ditionem dicimus, & repetimus via nullitatis: & tunc, ad nego-
tium non pertinet diſquiſitio quo pretio, viline an legitimo di-
ſtractæ ſint. Aut vero per reſtitutionem agitur in integrum, &
tunc pretii deceptio, & vtilitas ſola irritas facit minoris venditio-
nes, etſi interuenerit auctoritas iudicis & tutoris, *l. & ſi is quem,*
22 *ad tit. de præd. & aliis reb. C.* ¶ Sed † & in fructibus, reliquiſque
diſtrahendis mobilibus, quæ debent in pupillorum vtilitatem
vendi, tutor & curator quoque debent tempus oportunum &
vtilius, & pretium quo pluris væneant, obſeruare: alioquin de
negligentia, & damno reſponſuri, *l. tutor qui repertorium, §. ſi tu-
tor ceſſauerit, de adminiſt. tut. in P. l. ſi. §. ſi. eod. tit. C.* Porro in alia ad-
miniſtratione, & actionibus & iudiciis *l. in vniuerſis 11. C. qui tut.
dar. poſſ. lib. 5. tit. 44.* conſiderari curam quoque tutoris & offi-
cium, ex ſuperioribus apparuit: cum de verbis finitionis tutelæ,
*ad tuendum eum, &c.* loquebamur.

## Quæ Perſonæ tutelam gerere poſſunt. Cap. 4.

1 *Tutrix eſſe non poteſt mulier.*
2 *Tutela quomodo, & quale munus publicum eſt.*
3 *Mater quando & quomodo poßit eſſe tutrix filiorum.*
4 *Tutores quibus morbis repellantur a tutela.*
5 *Debitores & creditores minorum, num tutores vel curatores eo-
rum eſſe poſſint.*
6 *Tutores vel curatores legatione fungentes non dantur.
Nec qui ſe ingerunt, ſerui, milites, eccleſiaſticæ perſonæ.*
7 *Tutoribus dandis, quæ in illorum perſona magiſtratus obſeruare
debet.*
8 *Tutor num Iudæus non Iudæo dari poßit.*
9 *Iudæorum impii mores, & odium in Chriſtianos, & leges in eos e-
ditæ, prohibentes Chriſtianorum commercia & conuictum.*
10 *Tutores num poßint eſſe pupillorū Chriſtianæ & orthodoxæ fidei,
hæretici.*
11 *Tutores eſſe non poſſunt viles, quibus cum teſtamenti factio nō eſt,
maritus vxoris, non ſocer, nurus, male moratus.*
12 *Tutores vicini quando dari poßint.*

NOn † omnes paſſim & indiſcriminatim perſonæ in hoc tu- 1
telæ munus vocantur, ſed quædam excipiuntur, quæ vel tu-
telam gerere non poſſunt: quia prohibentur, vel quia nolunt, q
ſe excuſent, & immunitatem habeant. Proinde principio arce-
tur a tutela gerenda mulier, *l. tutela plerunque, & l. ſi. de tutel. in P.
l. 2. de reg. iur. l. ſcire, oportet 21. de tut. dat. ab iis, &c. lib. 26. P. tit. 5.*
propter ſexus infirmitatem: quippe quod alienam ſubire defen-
ſionem munus eſt virile, *l. alienam defenſionem. C. de procu.* & pu-
blicum & ciuile munus mulieri ſubire non conuenit iure, *d. l. 2.
de reg. iur. l. cum prætor, de iudic. P.* ¶ Eſt autem † eius generis tu- 2
tela, nempe publicum, *§. 1. de excuſ. tutor.* ratione auctoritatis,
quæ tutoribus conceditur: cum ciuium & rerum conſeruatio in
vniuerſum conſiderata, publicam reſpiciat vtilitatem, *l. 2. de iis,
qui ſunt ſui vel alie. iur. in P. §. pen. eod. ap. Iuſti. l. argentarius, §. 1.
de eden. in P.* Priuatum autem adminiſtratione, *l. athletæ, l. 8. §. in-
tela. de excuſ. tut. in P.* munus: cum priuatum ſit, quod ad ſingu-
lorum commoda pertineat, *l. 1. §. huius ſtudii, de iuſti. & iur. §. hu-
ius ſtudii, eod. ap. Iuſtin.* ¶ Extra tamen † iuris cōmunis regulas, 3
matri & auiæ concedi placuit tutelam filiorum vel nepotum, *l. 2.
& auth. matri. quand. mul. tut. offic. fung. poſſ. C. l. omnem, ad Ter-
tul. C.* atque in iſtis naturalis affectio, qua præſumuntur habere
curam liberorum, ſingulari modo iuris alias excludit pugnantes
præſumtiones, quæ illis prohibere poſſent. Si tamen teſtamen-
to paterno relinquantur adminiſtratrices, dominæque tutrices
ſunt, nec alius tutor dari poteſt: quia per illa verba, *dominam &
adminiſtratricem relinquo,* cenſetur tutrix, quia & tutor cenſetur
dominus bonorum pupillorum, *l. qui fundum §. ſi tutor pro emto.
l. interdum §. qui tutelam, de furt.* Sed de hoc, & an minor 25. an.
tutrix dari poſſit, & an teneatur renuntiare ſecundis nuptiis &
Velleiano, num etiam amittat ſecundis nuptiis tutelā, & ad quid
teneatur relicta tutrix, & adminiſtratrix ſine redditione ratio-
num, vide late Boerium, *deciſ. 124.* Papum, *Areſto lib. 15. tit. 5. A-
reſto. 2.* Quod ſi relicta non ſit tutrix mater in teſtamento mari-
ti, vel patris, & alii aucupentur tutelam, ſi velit tutelam recte &
facile a principe & æquitatis officina, id eſt, cancellaria, conſe-
quetur. ¶ Secundo, † tutores eſſe nequeunt, *l. 1. qui morb. ſe ex-* 4
*cuſa. C. l. poſt ſuſceptum, de excuſ. tut. in P. l. 3. qui dare tut. vel cura.
poſſunt, lib. 5. C. tit. 34.* furioſus, mutus, cæcus, ſurdus, & ſi qui vno
oculo tantum orbatus eſt, *l. frater tuus 19. C. de excuſ. tut. lib. 5. tit.
62.* ¶ Tertio, perpetua valetudine afflictus arcetur a tutela: vel
aliqua temporali quæ tamen tunc cum dādus eſt, eum tutorem
vrget, *§. item propter aduerſam valetudinem, de excuſ. tut. l. non ſolū,
§. fin. & l. idem Vlp. eod. in P.* ¶ Quarto, † creditores minorum o- 5
lim ſicut nec debitores, tutores eis dari poterant, *l. creditorem 8.
qui dar. tut. poſſ. C. l. neq. 7. de excuſa. tut. lib. 5. C. tit. 62. §. item pro-
pter, eod. ap. Iuſtin.* hodie nequaquam, *§. 1. vt ii. qui oblig. perhib. ſe
hab. res minor. in auth. minoris, qui dar. tut. poſſ. C.* Quinimo ſi ſub-
ierint vel acceptauerint tutelā, priuſquam iudici vere expoſue-
rint debitum quale ſit, vel ius quod habēt in bonis pupillorum,
amittunt debitum ſi datiui tutores ſint, nō etiam teſtamentarii,
vel placuiſſe ſenatui Gratianopolitano 6. Februarii 1461. notat
Philibertus

6 Philibertus Bugnonius, *lib. leg. abrog.* ¶ Quinto † loco ad vtilita-
tem minorum pertinet, ne illi qui in legatione ſunt, dentur tu-
tores vel curatores a magiſtratibus: quia per id tempus quo in
legatione funguntur, periculum ad eos non pertinet, *l. ſcire opor-
tet 21. §. eos qui in legatione, de tuto. & cur. dat. ab iis qui ius dan. &c.
lib. 26. P. tit. 5. l. in omnem, eod.* ¶ Sexto, qui ſe ingerunt, petuntq;
tutelas, & eaſdem pretio aucupantur, creandi non ſunt tutores,
*dict. l. ſcire oportet §. fi. l. 3. §. tuto. qui ad alimenta, de ſuſp. tutor.* ſed
pœnæ potius ſubiiciendi, vt ſuſpecti ſe vltro offerentes, *l. quæ o-
mnia, §. 1. de proc. in P. l. ſi quemquam de epiſc. & cler. C. l. prætor. §.
neque, de offic. præſ. in P.* niſi alioquin idonei certo apparerent,
*Paul. l. vxori 18. ad legem Cor. de falſ. lib. 48. P. tit. 10.* ¶ Septimo
militiæ armatæ muneribus occupatus, nec tutor vel curator et-
iam volens, dari poteſt, *l. 4. qui dar. tut. poſſ. C. § idem & in milite,
de excuſ. tut. ap. Iuſtin. l. ab adminiſtratione, l. 7. de legat. lib. 6. D. tit.
37.* ¶ Octauo, non ſeruus, *l. in ſeruili 7. qui dat. tut. poſſ. C.* ¶ No-
no, non debent, nec poſſunt etiam eccleſiaſticæ perſonæ tutelas
ſubire. Atque concilio epiſcoporum ſtatutum ſcribit D. Cypria-
nus *lib. 1. epiſt. 9.* ne quis clericis, vel miniſtris tutorem vel curato-
rem teſtamento ſuo ſcribat, quod ii non niſi altari, & diuino mi-
niſterio debeant vacare, & orationibus: & nemo militans Deo,
ſecularibus negotiis ſe immiſcere debeat, *2. ad Timot. 2. c. 1. 2. 3. 4.
88. diſt. tit. ne cler. vel mona. &c.* Atque pro eo defuncto in altari o-
randum non eſſe, qui tutorem clericum dederit: imo ſacerdo-
tem ab altari dimouendum, nec pro eius dormitione offeren-
dum. Quæ tranſtulit inter pontificia decreta Gratianus, *ca ſi 88.
diſt.* Vnde eccleſiaſticis immunitas a tutelis data eſt, eccleſiaſtici
muneris fauore, vt non cogantur tutelas ſuſcipere, vel curas, *leg.
generaliter, de epiſc. & cler. c. generaliter 16. q. 1.* Poſſunt tamen ho-
die ſi velint legitimas ſuſcipere, demtis epiſcopo & anachoretis,
*§. amabiles, de ſanct. epiſc. coll. 9. auth. presbyteros, de epiſc. & cleric. C.*
Tenentur tamen ad miſerabilium hominum tutelam omnes &
ad defenſionem eorum etiam cuiuſcunq; ſint eccleſiaſticæ gra-
dus perſonæ *c. peruenit 86. diſt. can. decreuit 88. diſt. c. licet 87. diſt. c.*
7 *generaliter, 16. q. 1.* ¶ Et † decimo loco in ſumma cum reliquis, o-
portet magiſtratum & mores creandorum inueſtigare: neq; fa-
cultates enim, aut dignitas ita ſufficiens eſt ad fidem, vt bona ele-
ctio, vel voluntas, vel benigni mores, *l. ſcire oportet 21. §. pen. de tu-
to. dat. ab iis, &c. in P. l. in confirmando, de teſtam. tut.* ¶ Vndecimo,
8 non caret † controuerſia num Iudeus Chriſtiani tutor eſſe poſ-
ſit. *Agitat hanc quæſt. Iaſ. in l. 1. de iuſt. & iur. Bar. & alii, in l. ſpado-
nem §. tam autem, de excuſ. tutor.* Placet autem mihi non poſſe,
quia cultus diuinus & mores inde corrumperentur pupilli: quā-
uis Modeſtinus diſſentire prima fronte videatur, dum Iudæos
non Iudæorum eſſe permittit. Verum ſi conſideremus eorum in
corrumpendis moribus Chriſtianorum infidum morem, ipſe
eodem reſponſo aperte repellit, *Modeſt. in l. ſpadonem 17. de ex-*
9 *cuſ. tut. in P.* ¶ Contemnunt † enim alios, qui ſuæ religionis non
ſunt. Et vt ait Iuuenalis, *Satyr. 14.*

*Quidam ſortiti metuentem ſabbata patrem,*
*Nil præter nubes, & cœli numen adorant,*
*Nec diſtare putant humana carne ſuillam,*
*Qua pater abſtinuit: mox & præputia ponunt.*
*Romanas autem ſoliti contemnere leges,*
*Iudaicum ediſcunt, & ſeruant, ac metuunt ius,*
*Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes,*
*Non monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti,*
*Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos,*
*Sed pater in cauſſa, cui ſeptima quæque fuit lux*
*Ignaua, & partem vitæ non attigit vllam.*
*Sponte tamen iuuenes imitantur cetera: ſolam*
*Inuiti quoque auaritiam exercere iubentur.*

Nec eſt quod referam quanto odio in Chriſtianos flagrent, quoties ad necem vſque inſidiati fuerint: proſtant enim palamque ſunt exempla, vbicunque illis permiſſa fuit habitatio. Et Conſtantinus, *l. 2. de Iudæ. lib. 1. C. tit. 12.* illorum in Chriſtianos odium lethale conſtitutione duxit coercendum, *Si quis*, inquit, *Iudæorum poſt hanc legem, aliquē qui eorum feralem fugerit ſectam, & ad Dei cultum reſpexerit, ſaxis aut alio furoris genere, quod nunc fieri cognouimus, auſus fuerit attentare, mox flammis dandus eſt, & cum omnibus ſuis participibus concremandus.* Et Theodoſius *l. fi. eo.* & Valentinianus, & Gregorius IX. *c. ex ſpeciali, c. 18. de Iudæ. ap. Greg.* ademerunt Iudeis omnes adminiſtrationes & honores, & poteſtatem inter Chriſtianos, ne inſultent fidei noſtræ. Quamobrem cum docuerimus maxime perſonæ dari tutores & moribus, vita autem noſtra religione, vt ait Plinius, conſtet, certe pro religione ſtatuendum erit *l. ſunt perſonæ, de relig. & ſumt. funer. in P.* & ſi quædam cõtrarium ſuadere videantur aliquibus. Pretioſior enim cunctis rebus anima eſt *l. ſancimus, de ſacroſan. eccleſ. C.* cuius vitæ magis cõſulendum: & ideo ſicuti ſuſpicio inſidiarum in vitā minoris, prohibet, ne pupillus inter ſuſpectas huiuſmodi perſonas educetur, *l. 1. & ſi. vbi pupil. educ. debe. in fi. l. fi. C. eod.* multo magis vbi ſuſpicio eſt periculi animæ. Prohibuit & Conſtantinus, *l. 1. ne Chriſtia. manci. hæret. vel Iudæ. habe. lib. 1. C. tit. 13.* Iudæis hæreticiſque habere ſeruos Chriſtianos. Idipſum & pontificia iura cauent *c. 2. de Iudæis, lib. 5. Decret. tit. 6.* Vt non immerito in ſua poteſtate prohibeantur habere liberos. Quin & concilio Lateranenſi ſtatutum, *c. Iudæi ſub c. 5. eod.* non licere Iudæis vel Agarenis, prætextu alendorum puerorum ſuorum, nec pro ſeruitio, vel alia qualibet cauſſa, mancipia Chriſtiana in domibus ſuis habere, non liberas nutrices, non mercenarios Chriſtianos, *c. adhæc, c. 8. eo. c. & ſi Iudæos, c. 13. eod.* Quoniā, vt ibi ſcribitur, Iudæorum mores & noſtri, in nullo cõcordant: & facile ob continuam conuerſationem & aſſiduam familiaritatem ad ſuam ſuperſtitionem & perfidiam, ſimplicium animos pertraherent. Et ob id etiam, in concilio generali placuit, *in c. nonnullis 15. de Iud.* vt habitu et veſtitu eſſent diſtincti Iudęi inter Chriſtianos commorantes, ne latentes Chriſtianæ inſidientur fidei.

¶ Duodecimo, † hæc eadem, quæ diximus de Iudæis, in hęre- 10
ticis obſeruanda ſunt, vt iiſdem, quibus Iudæi rationibus repel-
lantur a tutela orthodoxorum, & Chriſtianorū: ſerpit enim do-
ctrina eorum, vt cancer, ſicut voluit D. Paulus, *ad Tim. 2.* prohi-
benturque eorum non tantum conſortia, ſed etiam ſalutatio, vt
nec eis dicēdum eſſet, aue, D. Ioannes admoneat *2. D. Ioan. epiſt.
cap. 1.* ¶ Decimotertio, † non gerit tutelam turpis perſona, cui 11
nec tutela cum ſatiſdatione committi debet, *l. teſtamento datos,
17. de teſtam. tut. lib. 26. P. tit. 2.* ¶ Decimoquarto, † teſtamento 12
tutores ii dari poſſunt, cum quibus teſtamenti factio ſit, *l. teſtam.
tutores 21. eod.* videlicet paſſiua, hoc eſt, qui capere ex teſtamen-
to poſſint: alioquin ſi de actiua agatur, qui teſtamentum facere
non poſſunt, & ipſi tutores dari poſſunt, vt filiifamilias, *§. 1. qui
dar. tut. poſſ. apud Iuſtin. Vlp. l. ſi quis 18. §. fi. de excuſ. tut. in P.* Ve-
runtamen & de hac re Vlpianus ſic ait *in tit. iuris, tit. 12. Teſtamen-
to dari poſſunt ii, cum quibus teſtamenti faciendi ius eſt, præter Lati-
num Iunianum: nam Latinus habet quidem teſtamenti factionem,
ſed tamen tutor dari non poteſt, id enim lex Iunia prohibet. Et lex Iu-
nia tutorem fieri iubet Latino impuberi eū, qui ante manumiſſionem
ex iure Quiritium fuit.*

¶ Decimoquinto mariti etiam tutores vel curatores vxoris, dici non poſſunt datitii *l. 2. qui dari tut. poſſ. lib. 5. C. tit. 34. §. pen. de excuſ. tut. ap. Iuſtin.* quia iure ipſo Romano mulieres ſunt in tutela & cura maritorū, vt diximus in poteſtate in vxores. ¶ Decimoſexto, nurui ſuæ nemo curator dari poteſt, *l. licet orationis, 17. de excuſ. tut. C.* ¶ Decimoſeptimo, quando ex inquiſitione magiſtratuum vel præſidum dantur tutores, ſolet inquiri ſecundum Theophilum *in §. 1. eod. & in §. ſed & his, de Attil. tut. in Inſtit.* ſitne qui eſt dandus locuples, frugi, probus vita, an vitæ pignora, hoc eſt, liberos habeat: item an eam, quæ ſe progenuit, patriam amet, ſecundum Conſtantinum Harmenopulum, *lib. 5. promtu. iu. tit. 11.*

¶ Decimooctauo † aliquando in controuerſiam venit, num 13
deficientibus teſtamentariis & legitimis, dari poſſent tutores vi-
cini pupillorū, nulla affinitate vel cognatione illis coniuncti, ſed
tandē placuit poſſe, ni ſe alia iuſta ratione excuſent, ſenatuſconſ.
Pariſ. 21. Maii 1534. *Pap. libr. 15. areſt. tit. 5. areſt. 1.* quia etiā pro-
tinus extraneus, & ignotus tutor dari poteſt.

## De Suſpectis tutoribus. Cap. 5.

Lib. 26. P. tit. 10. Lib. 5. C. tit. 43. Lib. 1. Inſtit. 26.

1 *Tutores ex quibus cauſſis, vt ſuſpecti, remoueri poſſunt: Ex iiſdem ne dentur impediri poſſunt.*
2 *Tutor ſuſpectus quis dicatur.*
3 *Tutor ſuſpectus ex quibus cauſſis fieri poteſt.*
4 *Tutor pauper bonæ fidei vt ſuſpectus remoueri non poteſt.*
5 *Tutor vt ſuſpectus quomodo remoueatur a iudice.*
6 *Tutores vt ſuſpectos qui accuſare poſſunt.*
7 *Tutori vt ſuſpecto accuſato interdicitur adminiſtratio.*
8 *Tutor de ſuſpecto pendente adminiſtratione non finita tutela accuſatur.*
9 *Tutor coram quo iudice de ſuſpecto accuſatur.*

10 *Tutoris ob dolum remoti infamia pœna.*
Ἐπωβελία *multa quid. eod.*

1 NOn idoneus † dicitur quoque tutor, qui ſuſpectus in fide
vel opera videtur, atque ex iis cauſſis quibus ſuſpectus re-
moueri poteſt datus, ex iiſdẽ prohiberi poſſe ne detur arbitror.
2 ¶ Suſpectus † intelligitur, qui ex mala fide tutelam adminiſtrat,
*§. ſuſpectus autem, & § nouiſſime, de ſuſpect. tut. Vlpia. l. ſi creditores
15. verſi. ſed ſuſpectus, de priuil cred. lib. 42. P. tit. 6.* quive his mori-
bus præditus eſt, vt in ſuſpicionem veniat, *§. fin. de ſuſp. tut. l. ſu-
ſpectum, eod. in P.* Suſpicio perfidiæ vel incommodi pupilli, ex
perſona tutoris certum non habet malitiæ tutoris iudicium ali-
quando, ſed num talis ſit, qualis malus præſumitur, argumẽtum
& opinionem: vnde in dubio, ne quod veremur contingat, vel
ne quod detectum eſt malum ſerpat, leges præſidium & cautio-
nem dant, & delictis obuiam eunt. Atque ex decemuirali lege
ſuſpecti crimen deſcendit, *Vlpian. l. 1. § ſciendum, de ſuſp. tut. in P.*
quod proponi poteſt contra quoslibet tutores, *dict. l. 1. § oſtendi-
3 mus, eod.* ¶ Suſpectus † itaq; multis ex cauſſis quis fit, veluti pri-
mum ſi tutor rationes cum collega non communicet, *l. actus 20.
de admini. tut.* Si forte graſſatus in tutela aut ſordide egerit, aut
pernitioſe pupillo: ſi rerum eius aliquid interceperit, expilaue-
ritve ante vel poſt tutelam, *Vlpian. l. 3. § nunc videamus, de ſuſpect.
tut. in P.* ſi tutor inimicus fuerit pupillo parentibuſve eius, nec
reconciliatus illis ſit, *d. l. 3. §. ſi tutor inimicus, §. inimicitiæ, de ex-
cuſ. tut.* ſi res vetitas ſine decreto vendidit cum fraude *dict. l. 3. §.
Verus & Antoninus, l. 4. & l. etſi quidem de præd. & al. reb. minor. C.*
ſi ad alimenta præſtanda pupillo copiam ſui non faciat, *d. l. 3. §.
tutor qui alimenta, de ſuſp. tut. l. fi. vbi pupill. educ. deb. in P. §. ſi quis
tutor. de ſuſp. tut.* qui non facit inuentarium, nec pecuniam ad
prædiorum comparationem conferre vel deponere peruicaci-
ter perſtat, quoad emtionis occaſio inueniatur, *d. l. 3. §. tutores, &
l. fin. §. fi. arbit. tute. C.* ſi ſegniter, ſi fraudulenter ſe gerat, *leg. in po-
ſtulandis 5. de ſuſp. tut. C. l. 4. eod.* ſi contumaciter adminiſtratio-
nem recuſet *l. 3. C. eod.* ſi copiam ſui vocatus in ius pertinaciter
non faciat, *Vlp. l. impuberibus 7. §. fi. eod. in P.* ſi cum ignauia ne-
gligentia, vel dolo gerat: ſi cum ſimplicitate, ruſticitate, ineptia,
*l. hæ enim 4. §. fin. eod. in P. leg. 3. § fin. eod.* Generaliter aliis quoque
iuſtis de cauſſis remoueri quis poterit, ſi prætorẽ mouerint, cur
exiſtimet aliquem non debere in tutela verſari, *Vlpia. l. 3. §. ſi tu-
4 tor, de ſuſp. tut. in P.* ¶ Placuit † tamen tutorem, quamuis paupe-
rem fidelem tamen ac diligentem, non eſſe remouendum a tu-
tela ideo, vt ſuſpectum, *l. ſuſpectum 8. eod. in P. §. fi. eo. ap. Iuſtinian.*
optimumque factum viſum eſt potius curatorem adiungi, quam
eundem cum nota fidei & exiſtimationis remoueri, vt ait Mo-
deſtin. *l. ſi tutor 9. eod. l. pietatis, 6. C. eod. tit. §. fin. eod. ap. Iuſtinian.*
5 ¶ Ex his † itaque cauſſis a tutela remouetur tutor, vel officio iu-
dicis, ſi apertis argumentis liqueat illi eum eſſe ſuſpectum, vel ſi
accuſatio ea de re inſtituta coram eo fuerit *l. 3. § præterea, de ſuſp.
6 tut. in P.* ¶ Accuſãt † autem & probant ſuſpectos omnes paren-
tes, proximi, cognati pupilli, & quibus pietatis affectio officium
hoc promouet *l. pietatis 6. §. fin. eod. C. l. 1. § conſequens, eod. tit.
P. §. conſequens eſt eo. ap. Iuſtin.* item contutor, *l. 3. de ſuſpect. tut. P.*
etſi ille ſit iam remotus vt ſuſpectus: liberti pupillorum, *d. l. 3. §.
7 1.* ¶ Et † hac pendente accuſatione interdici adminiſtrationi tu-
tori poſtulato de falſo placuit, alio interea pro adminiſtratione
ſubordinando *l. eum quem 7. eod. C. §. ſi quis autem eod. ap. Iuſtin.
8 Vlpia. l. quod ſi forte 14. §. 1. de ſolut. lib. 46. P. tit. 3.* ¶ Siquidẽ † di-
gnum obſeruatione eſt, agi in tutores vt ſuſpectos pendẽte tem-
pore tutelæ, nam finita tutela ob eadem quibus quis ſuſpectus ea
pendente poſtulari poteſt, agitur non de ſuſpecto ſed de actione
tutelæ, *l. 1. C. de ſuſp. tut. l. pen. eod. in P. l. niſi. & l. ſi tutor. in fin. & l.
ſeq. de tutel. & rati. diſtrah. in P. §. ſed ſi ſuſpecti, de ſuſp. tut.* ¶ Porro
9 ſuſpecti † accuſatio pro tribunali tantum examinari poteſt, in-
quit Marcellus, *l. 1. § ſuſpecti, ad Senat. Turp. lib. 48. P. tit. 16.* &
nullus alius de huiuſmodi quæſtione pronuntiare poteſt, quam
prætor Romæ, in prouinciis autem præſides, & legati proconſu-
lis, *§. 1. de ſuſp. tut. ap. Iuſtin. l. 1. §. damus, eod. in P.* & is cui a præto-
re iuriſdictio mandata eſt. Interdum atrocia in pupillos cõmit-
tentes remoti, ad perfectũ vrbis pro eius arbitrio puniendi gra-
10 uiter remittuntur, *l. 1. §. fin. & l. 2. eod. in P.* ¶ Qui † autem vt ſu-
ſpecti remoti ſunt, ſi ob dolum famoſi ſunt: ſi ob culpam non æ-
que, *§. ſuſpectus, & §. oſtendimus, eod. ap. Iuſtin. l. 3. §. fi. eod. tit. in P.
l. fi. C. eod.* Et fraudatores tutelarum turpi iudicio coercendos di-
xit Cic *pro Aul. Cecin.* ex leg. 12. tab. Et æſtimationis ſummæ pœ-
na, id eſt, infamia, *idem pro Roſcio.* Vt actione tutelæ damnatos Vl-
pia. infamia notari ait, *l. 1. de his qui not. infam.* Idem & apud Græ-
cos ex Demoſthene colligitur, *Orat. 1. cont. Aphobũ circa fin.* Ideo
qui hac actione agebat, niſi reum perageret, ſexta parte litis æſti-
matæ mulctabatur, quæ in reum abſolutũ veniret. Mulcta ἐπω-
βελία ideo dicta, quod in quamlibet drachmam calumniæ reus,
obolo mulctaretur, cũ ſeni eſſent oboli in drachma, *Buda de aſſe.*

## De Excuſationibus legitimis tutorum. Cap. 6.

Lib. 27. P. tit. 1. Lib. 5. C. tit. 62. Lib. 1, Inſtit. tit. 25.

1 *Tutelam gerere habet periculum animæ.*
2 *Excuſatio tutelæ quid.*
3 *Excuſationum cauſſæ in genere.*
4 *A tutela quando paupertas excuſat.*
5 *A tutela ſe excuſat, qui alterius eſt prouinciæ quã bona pupilli.*
6 *Tutelæ tres aut duæ curæ, quando ab alia tutela noua excuſant.*
7 *A tutelis excuſant negotia alia neceſſario gerenda.*
8 *Liberi qui, & quot a tutela dant excuſationem.*
9 *Excuſationes a tutela vel cura ex parte perſonarum quot, vt ſi quis fuerit tutor, ſi inimicus, ſi valetudinarius, ſi litem habeat, ſi minor.*
10 *Septuagenarius quare a tutela & cura excuſatur.*
11 *Item Alienigena, & de aliis cauſis excuſationis.*
12 *Excuſationes a tutore vel curatore ante adminiſtrationem ſunt & intra 50. dies proponendæ, poſtea perperam proponuntur.*
13 *Excuſatione non vtitur, qui promiſit defuncto patri ſubire tutelam, vel qui ſubſcripſit dationi, vel legatũ ob id acceptauerit.*
14 *Vtilitas legitimæ excuſationis.*

QVemadmodum † proxime pertractatæ perſonæ idoneæ 1
non ſunt adminiſtrationi tutelæ, quia reiiciantur inuiti: ſic
nec qui ſe excuſant ab hoc munere, & nolunt illud ſubire, ac-
commodi non ſunt, cum cogi nequeant. Sunt enim aliqui, qui
Dei memoriam habentes, inquit Iuſtinianus, *§. quoniam, vt hi
qui per hib. oblig. ſe hab. res minor. in auth. coll. 6. tit.* 2. ad tutelam
& curam ſuſcipiendam difficulter accedant: non ſolum vt labo-
res recuſent, ſed ne pupillorum gratia in animæ periculum in-
cidant. Quidam tamen illegitime, quidam legitime tutelæ o-
nus deprecantur: proinde de legitima excuſatione agendum eſt.
¶ Excuſatio † hæc eſt, muneris rite delatæ tutelæ ex iuſtis 2
cauſſis legitime propoſitis exceptio. Munus genus eſt quia alia
plura genera quam tutelæ, *tot. tit. de muner. & honor.* reliqua dif-
ferentias conſtituunt. Exigimus in hac excuſatione rite delatam
fuiſſe tutelam, hoc eſt, vt idoneus is ſit tutor, ſi vellet cui defer-
tur: etenim illi qui idonei iure communi non ſunt, excuſatione
non egent, pro reiiciendo munere vel onere. Veluti ſi ii qui dari
non poſſunt, dati ſunt: vel qui dari poſſunt quidem, ab iis ta-
men qui dare non poſſunt dentur: aut quibus non oportet, aut
non eo quo oportet modo. *Modeſtinus leg. ſcire oportet 15. §.
qui non iuſte, de excuſ. tuto. in P.* Priuatio enim præſupponit præ-
cedentem habitum, *l. decem, de verborum obligatio. leg. Iulianus,
de diuort. in P.* Dari autem non poſſunt illi, de quibus proxime
ante diximus ¶ Excuſantur † autem primum ratione rerum, de- 3
hinc ex qualitate perſonarum, & ſubinde ex aliis negotiis, quæ
cum pupillo vel aliis ſunt, vel futura ſunt. ¶ Ratione † rerum ſe 4
excuſant ob inopiam pauperes, ſi ſe impares oneri iniuncto poſ-
ſint probare, *Vlpi. in l. paupertas 9. de excuſ. tut. in P. §. ſed & propter
paupertatem, eod. tit.* Videlicet, ſi eius generis ſint, qui repoſitas
non habeant facultates, in victumque neceſſaria, niſi manibus
operentur, & conquirant: taleſve ſint pupilli facultates, quę non
permittant tutorem ab adminiſtratione abſcedere, *leg. poſt ſuſce-
ptam 43. § fin. eod. tit.* Quamobrem qui in collegio piſtorum o-
peratur, in piſtrino per ſemetipſum, excuſatur non aliter, *l. fi. eod.*
& ita mediocritas quoque, & ruſticitas excuſationem aliquan-
do dant, *Vlp. in l. athletæ 8. § fi. eod.* Et ideo ceſſante paupertate, &
facultatibus additis, non competit excuſatio, *l. non tantum, §. eos
qui, de excuſ. tut. in P.* ¶ Recuſant † recte etiã onus tutores dati 5
teſtamento, ſi res adminiſtrandæ ſint in alia quã ſua prouincia,
*Modeſtin. in l. non ſolum 12. §. & qui in teſtamento. eod.* ¶ Et † illi 6
quoque qui pertractandis aliorum rebus occupati neceſſario
ſunt, excuſatione donantur: vt qui tres iam vere tutelas vel cu-
ras habet & adminiſtrat, quia aliis & iſtis non poſſet commode
ſupereſſe, *§. item tria onera, de excuſ. tuto. leg. 3. 4. 5. 6. eod. in P.*
Niſi eas affectauerit, quia affectatæ non adſcribuntur numero,
*l. Spadonem 17. §. fin. eod. P. l. voluntariæ, eod. C. l. vni. qui nu. tutel. ſe
excu. lib. 5. C. tit. 69.* nec honorariæ.

¶ Ideo

7 ¶ Ideo etiam † quibus tributorum exactio cõmiſſa a principe,
l. exactores tributorum 10. C. de excu. tut. vel aliarum rerum admini-
ſtratio, ea durante excuſantur, l. Geometræ, & menſores frumenta-
rios, eo. in P. §. item D. Marcus, eo. ap. Iuſtin. Hermogenianus, in l.
adminiſtrantes 44. eod. in P. l. Iuriſperitos 33. eod. & §. & qui. de ex-
cuſ. tut. ap. Iuſtin. quales qui præſidatũ gerebant Aſiæ, Bithyniæ,
Cappadociæ, & aliarum prouinciarum, l. athletæ 8. §. 1. eod. patri-
monialis colonus. l. fi. qui dar. tut. poſſ. lib. 5. C. tit. 34. excepto cõ-
ductore, l. coloni 8. de excuſ. tut. C. l. ſpadonẽ 17. §. qui vectigalia, eod.
in P. Item excuſantur ob dignitatem adminiſtratoriam ſilentia-
rii principis, l. fi. C. eod. d. l. fi. de ſilentia lib. 12. C. magiſtratus ciui-
tatum, l. athletæ 6. §. remittuntur, de excuſ. tuto in P. excepto Æ-
dili, l. non tantum 20. §. is qui ædilitate, eod. in P. & qui occupati
ſunt aliis rebus publicis, quales grammatici, ſophiſtæ, oratores,
philoſophi, qui publice iuuenib. proſunt, & medici. l. ſi duas 6. §.
Grammatici, & ſeqq. §§. & l. ſed & reprobari. l. 7. in princ. §. eod. do-
ctores legum, non quidem qui in aliquo præſulatu docent, ſed
ſi Romæ, d. l. ſed & reprobari, §. fin. vel in alia regia academia pro-
fiteantur publice, §. hæc autem in proœm. Pan. iuris. ¶ Adminiſtra-
8 tio quoq; liberorum propriorũ viuorum legitimorum, quę ple-
na curis eſt, & ſolicitudinibus, vt æquum non ſit patrem ab illa
naturali diſtrahi, vt extraneis, ſuis relictis, opem impendat, arg. l.
præſes prouinciæ, de ſeruit. C. l. fi. de cura. fur. C. ſi modo tot ſint, qui
totum eum deſiderent. Vnde numerus definitus eſt liberorum
ad excuſationem ſufficiens, in quorum recipiuntur ſeriem ne-
potes, neptesve ex filiis maſculis, l. 2. §. remittit. & ſeq. de excuſ.
tut. §. 1. & ſeq. eod. ap. Iuſtin. Et qui in bello cecidere pro republ.
d. §. 1. eod. l. bello amiſſi. 21. eod. in P. Romæ ſufficientib. tribus, in
Italia quatuor, in aliis prouinciis quinque, l. vnic. de iis, qui num.
liber. ſe excuſ. lib. 5. C. tit. 66. Item qui patroni ſenatoris negotia
gerit, a tutela decreto patrum excuſatur, l. libertus 17. §. liberti. ad
9 municip. lib. 50. P. tit. 1. ¶ Ex capite † quoque perſonarum reiici
poſſunt tutelæ vel curæ: veluti ne is qui tutor fuit, curã eiuſdem
cogatur ſubire, §. qui tutelam, de excuſ. tut. l. curator. C. eod. Si hu-
milis ſit perſona, & analphabetus ſimul: nam vtrumque requiri-
tur, nec alterum ſufficeret, l. athletæ, § pen. & fin eo. P. §. ſimiliter
eos, eo ap. Iuſtin. Inimicitiarum etiam præcedentium capitalium
ſine reconciliatione cum patre pupilli allegatio excuſationem
habet, d. l. athletæ, §. dat remiſſionem. §. item ſi propter, eod. ap. Iuſtin.
Vt ſi obiiciatur valetudo aduerſa adminiſtrationi poſtulatæ, §.
item propter aduerſam, eod. l. item Vlp. & l. non ſolum, §. fin. & in ſeq.
eo. Si lis futura ſit cum pupillo, vel exiſtat de vniuerſitate bono-
rum, puta quia ſe heredem arbitratur, vel alio modo dominum:
Etenim de re ſingulari vel parte bonorum, lis non eſſet legitima
excuſatio, l. ſi pupillum, & l. propter litem, eod. in P. §. item propter li-
tem, eod. ap. Iuſtin. l. ſi vt allegas. C. eod. Et proinde communio re-
rum, vel de ea controuerſia, cum per curatorẽ pupillo ad com-
munia tutanda datum expediri poſſit, non eſt iuſta excuſatio, l.
quod res, C. eod. Ætas quoque, quæ ad negotia tractanda pupillo-
rum idonea non eſt, excuſat a tutelæ munere, veluti minor 25.
annorum, qui enim ſe tueri non poſſunt, aliorum tutelam ſubi-
re non debent, & ita iure repelluntur a tutela, §. minores, de excu-
ſa. tuto. ap. Iuſtin. l. fin. de legi. hered. C. l. non ſolum 12. §. ſi libertus,
10 eo. in P. facit pro ratione, c. indecorũ, de æta. & qualit. ¶ Maior † et-
iam 70. annorũ a tutela & cura ſe poteſt excuſare, §. item maior,
de excuſ. tuto. ap. Iuſtin. l. 2. eod. in P. l. vni. qui ætat. ſe excuſ. l. 5. C. tit.
68. l. 3. de iur. imminut. in P. Dies annorum noſtrorum in ipſis ſe-
ptuaginta anni: ſi autem in potentatibus, 80. anni, amplius eo-
rum labor & dolor, Pſal. 89. Solon humanæ vitæ terminum et-
11 iam 70. annos eſſe ait, Diog. Laert. in 1. in Solone. ¶ Qui † neque
ciuis, neque incola eius loci eſt, in quo tutor datur, recte detre-
ctat adminiſtrationem, l. idem Vlp. l. 14. §. ſi de excuſ. tut. in P. Cal-
liſt. in d. l. non tantũ 17. §. Ilienſib. eod. tit. Vlp. in l. illud vſitatiſſimum
22. l. propter litem 24. §. licet datus. l. fin. eod. tit. l. 2. & 11. C. eod. Item
quis non cogitur ſuſcipere tutelam vel patrocinium contra fra-
tres vel filios, l. humanitatis 23. C. de excuſ. tut. Et nauicularii ex-
cuſantur a tutela extraneorum, non eorum qui ſunt de corpore
eodem, ſeu de collegio, l. pen. C. eod. tit. Et qui ingredi ciuitatem
nequeunt, vt ignominia miſſi, ab vrbicis excuſantur tutelis, l. ſed
12 & milites 10. §. ſcribit autem, eod. in P. ¶ Quæ † interueniunt quo-
que in excuſatione proponenda, & proſequenda: Cõſidera: pri-
mum, vt ea ante adminiſtrationem vel confirmationẽ tutoriam
edatur, nam ſi poſtea proponatur, ſero fit, nec proficit. l. ſcire o-
portet, § qui non iuſte, cum ſimilib. ibi per gloſſ. not. de excuſ. tut. in P. l.
ſi nemo, §. ſi. de teſta. tut. in P. Sed & tempus iure definitum eſt, in-
tra quod qui ſciuit ſe tutorem datum, excuſationem debet ob-
iicere: nempe 50. dierum, ſi in ciuitate, vel intra 100. a ciuitate
lapidem ſit, d. l. ſcire oportet, §. multa. Qui autem ſupra centum mi-
liaria a ciuitate abeſt, viginti miliaria habebit vltra numerata in
vnamquamque diem, a qua cognouerit: oportet enim manife-
ſtari ei a præſidibus, vel in faciem, vel in domum: & extra hos, a-
lios triginta dies habebit ad excuſationem, d. l. ſcire, §. qui autem,
& §. ſeq. & §. conſequens. Peragi autem debet negotium a die no-
minationis intra quatuor menſes, l. quinquaginta dierum, eod. tit.
in P. l. quinquaginta, eod C. ¶ Subinde † animaduertendũ, num 13
is qui tutelam recuſat, patri pupillorum viuenti promiſerit tute-
lam ſe ſubiturum: tunc enim reiecta excuſatione cogitur ſubire
eam l. ſpadonem. §. qui patri, de excuſ. tut. in P. § item ſi propter. eod.
ap. Iuſtin. Id ipſumq; ſtatuendum, ſi dationi teſtamentarię ſe ſub-
ſcripſerit, Papi. in l. ex ſententia 29. de teſtam. tut. lib. 26. P. tit. 2. l. v-
xori, §. qui ſe filio, ad l. Cor. de falſ. vel legatum relictum accipiendę
tutelæ cauſſa agnouerit, l. poſt legatum, §. amittere, de iis quib. vt in-
dig. in P. quod non poteſt iure conſequi, niſi poſt acceptam tute-
lam, l. qui tutelam 20. de teſtam. tut. l. Nezennius, de excuſ. tut. cum
diſtin. ibi adiectis. ¶ Porro † vtilitas legitimæ & iuſtæ excuſatio- 14
nis erit, vt excuſatus a periculo tutelæ ſe eximat. l. ſi tut. C. eo. tit.

## De Diuiſione tutelæ, formuliſque tutorum in vniuerſum. Cap. 7.

1 *Continuatio & epitome dicendorum.*
2 *Tutela in datiuam, & permiſſiuam diuiſa.*
*Permiſſa teſtamentaria, datiua legitima, & a magiſtratib. data.*
3 *Mixta a teſtatore & magiſtratu confirmata.*
*Vnde & tutores aliquando honorarii & notitiæ cauſſa dati.*

EXhibita imagine † generali tutelarũ & ſubſtantia, cum parti- 1
bus eius rerum & perſonarum, diuiſionem explico, in qua
quemadmodum, & a quibus, & typum, ſecundum quem tuto-
res dari & confirmari poſſunt, exhibebimus, & quibus dari poſ-
ſint: vnde & quæ affinia curæ, & diſſidentia ſunt, & cõuenientia
annotare licebit. ¶ Igitur † tutela vel permiſſa, vel datiua dicitur, 2
vt ex finitionis verbis tutelæ, l. 1. de tut. in P. §. 1. eo. ap. Iuſtin. ibi, iu-
re ciuili data, vel permiſſa, liquet. Permiſſa teſtamentaria alio mo-
do dicitur: quia iure ciuili permiſſum eſt parentibus, tutores fi-
liis ſuis dare, §. permiſſum, eod. l. 1. de teſt. tut. in P. Datiua iuris ciuilis
duplex, vel quæ defertur a lege immediate, nullo alterius perſo-
næ adhibito miniſterio & legis ſolius auctoritate, ideo legitima,
l. legitima, de pact. in P. alia datiua, delata per leges miniſterio ma-
giſtratuum. ¶ Mixta inde † quæ a tutore, vel a iudice dari poteſt, 3
dicitur. Ex his honoraria alia, a qua tutores quoque teſtamenta-
rii, legitimi datitii, vel datiui, & honorarii dicũtur: quibus & ad-
di poſſunt, qui propter rerum notitiam dantur.

## De Teſtamentaria tutela, & eius confirmatione: & de tutoribus teſtamentariis & confirmatis. Cap. 8.

De teſt. tut. lib. 26. P. tit. 2. Lib. 5. C. tit. 28. Inſtit. tit. 13. & 14. De
confirmando tut. lib. 26. P. tit. 3. Lib. 5. C. tit. 29.

1 *Poteſtas dandi teſtamento tutores a patria poteſtate, & 3.*
2 *Tutor dari non põt certæ rei, nec teſtamẽto, vel codicillis inualidis.*
3 *Curator teſtamento dari non poteſt, tutor poteſt.*
*Tutor teſtamento non datur ab alio, quam a patre: verum datus,*
*a iudice confirmatur.*
4 *Qui teſtamento tutores dari poſſint.*
5 *Tutores quomodo dari poſſunt teſtamento.*
6 *Tutores teſtamentarii quando confirmantur.*
7 *Curator a patre teſtamento datus, confirmatur.*
8 *Officium iudicis quale in confirmando tutore.*
9 *Tutores & curatores a patre dati, in confirmatione non ſatiſdant,*
*alii ſatiſdant.*
*Idem 11. & quid ſi a matre dentur.*
10 *Tutor filio matre viuente, ea inuita dari non debet.*

QVia Romani patriam † poteſtatem, vt propriam, ſibi arro- 1
gant. §. 1. de patria poteſt. eodem iure ciuili & poteſtatem tu-
tores dandi filiis poſt mortem conceſſam habent, ex capite legis
12. tab. vt, Vti quiſq; legaſſet ſuper familia tutelaue ſua, ita ius eſſet, l.
1. & l. tut. incertus de teſtam. tute. l. verbis 120. de verb. ſig. Neq; datio
teſtamentaria valet, niſi ſecundum ius dentur tutores, l. 3. de te-
ſta. tute. in P. ¶ Itaq; † iura in hac ſequi oportet, quæ pro re, con- 2
ſiderandum docent, ne certę rei, vel cauſſæ tutor detur, §. ad cer-
tum, qui teſta. tut. dar. poſſ. lib. 1. Inſti. tit. 14. l. certarum 12. cum ll. ſeq.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*de teſtam. tut.* quia perſonæ potius datur tutor. Item teſtamen-
tum vel codicillos in quibus fit datio, vt conſiſtant & valeant, *d.
l. 3. eod. in P. l. 3. de confir. tut. lib. 26. in P. tit. 3. l. 2. C. eod. lib. 5. tit. 29.*
3 ¶ Et † in hoc differt etiam a curatore tutor, quia curator teſta-
mento dari non poteſt, *l. pen. C. de teſtam. tut.* Demum perſonæ
quæ dant, eſſe debent quæ habeant liberos, quibus dant, in po-
teſtate, *l. 1. eod. in P. l. 1. de confirm. tut. in P.* Quo fit, matres nō poſ-
ſe teſtamento filiis tutores dare, non patronos, nec extraneos,
ſed tamen dati ab iſtis, ex cauſſa confirmantur a iudice, *l. 1. 2. &
4. eod. in P. l. 1. C. eod. l. qui tutelam 28. §. fi. de teſt. tut.* vt etſi detur
exheredato *d. l. eo. in P.* ¶ Quemlibet † autem poſſe tutorem da-
4 ri, lex 12. tab. voluit, *l. tutor incertus 20. §. fi. eo. in P.* dummodo is a-
lioquin ſit idoneus *l. vt gradatim de mun. & honor.* & habeat fa-
ctionem teſtamenti paſſiuam, *l. teſtamento tutores 21. de teſta. tute.*
ſitque certus, *Africa. in l. tutor. ita recte 23. de teſt. tute. & l. ſi quis tu-
torem 22. eod.* & non numeretur inter illos, qui nequeunt tutores
5 eſſe, de quibus ſupra diximus. ¶ Poteſt † & tutor teſtamento da-
ri a certo tempore & vſque ad certum tempus, ſub conditione
& vſque ad conditionem, *Vlpia. l. tutor datus 8. §. 1. de teſta. tut. in
P. l. tutoribus 33. eo. § ad certum tempus, qui teſtam. tuto. dar. poſſ.* &
poſt mortē heredis *l. tutores 7. de teſta. tut. in P.* Obſeruamus ta-
men regulam, neminem poſſe cuiquam tutorem dare, niſi ei
quem in ſuis heredibus habuerit, vel habiturus eſſet, ſi vixiſſet, *l.
quo tutela, §. 1. de reg. iur.* Quod ſi talibus dederit non inſpicimus
an nati ſint, vel poſthumi filii vel nepotes maſculi vel fœminæ,
6 *l. ſi quis filiab. 5. & ſeq. de teſta. tut. in P.* ¶ Quando autē teſtamento
dati tutores, non poſſunt auctoritate eius ſubſiſtere, ad confir-
mationem refugimus, ſi æquum videatur & vtile pupillis illos
tutores retinere, veluti, ſi dati in teſtamento rupto, *l. ſi pater 31. de
teſt. tut. in P.* ſi ii qui nō poterant dare dederint, teſtamento per-
manente, *l. 1. & ſeq. de confir. tuto.* ſi dubitetur de virib. teſtamen-
ti *l. iure noſtro 26. §. fi. & l. ſeq. de teſt. tute.* ſi naturalib. liberis detur,
7 *l. fi. C. de confirm. tuto.* ¶ Cōfirmatur † & a patre curator teſtamen-
8 to datus, *l. 1. §. fi. eod. in P.* ¶ Officium † iudicis in confirmandis
datis tutoribus teſtamento, in inquiſitione conſiſtit, qua diſcu-
tit num idoneus ſit is, qui datus eſt tutor, moribus, facultatibus,
perſona, num ſit cōſtrictus ære alieno, vel cum fiſco damnoſum
contractum geſſerit, aliter ipſe teneretur magiſtratus, *l. tutores a
patrono 5. l. in confirmando tutore & l. ſeq. de confir. tut.* Sequetur q;
prætor vtilitatem pupillorum, non ſcripturam teſtamēti, vel co-
9 dicillorum, *Trypho. l. vtilitatem 10. de confir. tut. in P.* ¶ Verum † ſi
pater inutiliter dedit tutorem, fit confirmatio ſine inquiſitione,
*l. 1. §. & ſi quidem, & l. ſi filio 6. eod.* Quod & in curatore reſponſum
eſt, teſtamento inutiliter dato, ſed confirmato, cui & ſatiſdatio
remiſſa, *l. fin. eod. tit. in P.* quamuis exheredato det, *l. 4. de teſta. tu-
te. P.* dummodo legitimus & naturalis is ſit, ſuuſq; filius: aliud
enim in naturali filio, cui nihil relictum eſt, *l. naturali 7 de confir.
tut. in P.* Et dummodo etiam cauſſa, propter quam tutor a patre
datus videbatur, non ſit mutata: vt ne inimicus, neve pauperior
ſit factus, *l. pater. 4. §. 1. de teſtam. tut. in P.* Nō ita in tutore a ma-
tre filio dato legitimo, quem & inſtituere debet antequam det,
& rurſum in confirmatione eius, inquiſitio eſt neceſſaria, *d. l. 4.
de teſt. tut. l. 2. de confir. tut. in P. l. mater. C. de teſtam. tute. l. fi. §. ſi qui
10 pet. tut. lib. 26. P. tit. 6.* ¶ Confirmari tamen æquum eſt: cum nec
ea viuente contra eius voluntatem tutor dari debeat, *l. 1. ſi tutor
11 contra matris voluntatem datus ſit. C.* ¶ Hoc † cōmune teſtamen-
tariis paternis & confirmatis tutoribus, vt ſatiſdatio ab illis non
exigatur, quod eſt valde notabile, idque ea ratione, quia iam ele-
cti ab illis qui ſatis fidem illorum exploratā habuiſſe præſumun-
tur, *l. 3. de confir. tut. in P. § 1. de ſatiſd. tut. §. fi. de tutel. l. de creationib.
de epiſc. aud.* ab aliis tamen dati, cauent in confirmatione, *l. tuto-
res a patruo 5. de confir. tuto.* rem pupilli ſaluam fore.

## De legitima tutela, & de illa quę agnatorū eſt. Cap. 9.

Lib. 26. P. tit. 4. Lib. 5. C. tit. 30. Lib. 1. Inſtit. tit. 15.

1 *Quando ad legitimam tutelam peruenimus.*
2 *Tutela legitima ſubſidiaria in locum teſtamentariæ quæ prior eſt.*
3 *Legitimi tutores qui dicantur.*
4 *Legitimæ tutelæ quatuor ſpecies, agnatorum, parentum, fiduciaria, patronorum.*
5 *Legitima agnatorū tutela proximis, demtis fœminis defertur.*
6 *Agnati & cognati qui dicantur.*
7 *Legitima tutela tranſit mortuis parentib. tutoribus in filios ſola.*
8 *Legitimo agnato proximiore minore vel abſente, ſi poßit idoneus eſſe, vel redire ante ætatem legitimam pupilli, non datur legitimus tutor remotior, ſed datiuus interim.*
9 *Legitima tutela cur potius defertur agnatis pximis q̃ aliis a lege.*
10 *Agnati adhibebātur ex lege in conſilium iudicii vxoris a marito vindicante.*
11 *Agnati qui ſucceſſuri erant pupillo, tutores lege Solonis ei dari non poterant: & quare.*
12 *Tutores legitimi ſatiſdant rem pupilli ſaluam fore.*

QVando defunctus † inteſtatus mortuus eſt pater, vel alius te- 1
ſtatus qui tutores teſtamento nec dedit, nec dare poterat: &
pupilli ſunt, qui defenſione, vel tutela egeant, *l. inteſtato 6 de legit.
tut. in P.* ad legitimam & leg. 10. tab. decretam, refugimus, *l. 1. & 3.
& l. legitimos 5. eo. in P. §. 1. & 2. de legi. tute.* & ad extentionem ſeu
prorogationem mentis eius, verbis deficientibus, *§. 1. de leg. patr.
tut. lib. 1. Inſtit. tit. 17.* ¶ Hæcq; † ſubſidiaria. Nam quandiu poteſt 2
eſſe locus teſtamentariæ, ad legitimam non itur, *l. ſi quis ſub con-
ditione 11. de teſtamen. tut. P.* ſi tamen cōditione ſuſpenſa ſit teſta-
mentaria, vel mortuus tutor teſtamentarius, vel remotus ſit, ad
legitimam redeundum eſt, *d. l. ſi quis, §. quod autem lex eo. l. inte-
ſtato 6. §. fi. de legit. tut. in P.* ¶ Legitimi tutores † generaliter ſunt, 3
qui ex lege aliqua deſcendunt, *Vlp. in tit. tit.* 11 *l. legitima de pact. in
P. Verum per eminentiam,* inquit Vlpia. *tit. 11. legitimi dicuntur, qui
ex l. 12. tab. introducuntur, ſeu propalā quales ſunt agnati: ſeu per con-
ſequentiam, quales ſunt patroni.* ¶ Legitimæ tutelæ † ſpecies hodie 4
quatuor ſunt, quia totidem modis defert tutelam, & facit tuto-
res lex: inde legitima agnatorum tutela, parentum, fiduciaria, &
patronorum. ¶ Agnatorum † eſt, quæ ex verbis & ſententia legis 5
12. tab. defertur proximis agnatis, ad quos deferri poteſt pupilli
hereditas immediate, ſi modo fœminæ non ſint, quæ proximio-
res ad ſucceſſionem eſſe poſſunt, & apud aliā hereditas, & apud
aliam tutela eſſe poteſt. *l. quo tutela, de reg. iur. l. ſicut hereditas, C.
de legi. tutel. l. 1. de leg. tut. in P.* Et ſi æquales in gradu ſunt, æque &
ad tutelā vocantur, *Paul. l. ſi reliquero 8 & Caius l. ſi plures 9. eo. P.*
niſi alia cauſſa, puta minor ætas, vel alia excuſatio prohibeat, *l. fi.
C. de legit. tute. d. l. ſi reliquero.* Quod in ſucceſſione & tutela pa-
troni & patronæ in bonis liberti diſtinguitur, *l. 1. § 1. de legit. tut.
in P.* ¶ Agnati ſunt, † qui per virilis ſexus perſonas cognatione 6
coniuncti ſunt, quaſi a patre cognati. Cognati per fœminini ſe-
xus perſonas coniuncti, *Caius l. ſunt autem agnati 7. de legit. tut. §.
1. & 2. de legi. agnator. tut. § 1. de legit. agn. ſucceſ. l. iuriſc. §. inter agna-
tos. de grad. & affi. in P.* Quod explico cum Theophilo *in §. &
quinam ſunt agnati de legit. agn. tut. & lib. 1. Inſtit. tit. 15.* dilucide &
paucis. Cognatio nomē eſt generale, diuiſa in parentes, liberos,
& propinquos ex latere: parentes ſunt, qui nos genuerunt, pa-
ter, mater, auus, auia & alii ſuperiores: liberi, qui ex nobis naſcū-
tur, filius, filia, nepos, neptis, & qui ex illis: ex latere veniunt, qui
neq; nos genuerunt, neq; a nobis gignuntur ſed eandē ſtirpem
& radicem communem nobiſcum habent, veluti frater, ſoror,
patruus, auunculus, amita, matertera, conſobrinus conſobrina,
& qui ex iis naſcuntur. Porro cognatio hæc quæ ex latere venit,
in duas ſpecies eſt diuiſa, in agnatos & in cognatos: & agnati qui-
dem ſunt, qui per virilem ſexum nobis coniunguntur veluti fra-
ter eodē patre genitus, & liberi eius, item ſoror eodē patre geni-
ta, tum patruus & liberi eius, deinde & amita. *Cognati* vero ſunt,
qui per fœminā nos cōtingunt, vt ſoror eadē matre tantū genita,
ac liberi eius: itē matertera, & liberi eius, & amitæ liberi. Agnati
autem & legitimi dicuntur a lege, quaſi dicas νομίμους. Cognati
etiam dicuntur, quaſi dicas naturales. Quoniam quos ius ciuile
nouit nouit & natura. Cognati vero tantum habent cognatio-
nem naturalem, quos enim natura nouit, hos non protinus no-
uit & ius ciuile. Quæ diuiſio olim iure 12. tabul. erat obſeruata,
& in ſucceſſionibus, & conſequenter in tutelis, quæ ſequuntur
ſucceſſiones, *l. quo tutela redit, de reg. iu. § tum & agnates, de legi.
patro. tute.* Et quia diſtinctiones nouo iure agnatorum & cogna-
torū ſublatæ ſunt, & propinquiores, ſiue illi agnati, ſiue cognati
tantum ſint, ad ſucceſſionem vocantur *l. maximum vitium C. de
liber. præter. l. lege 12. tab. de legit. hered. C.* pari modo. Et ſublata
legis 12. tab. diſtinctione, nulla ſeparatione ſexus adhibita, vel
cognationis & agnationis, cognati quoque propinquiores voca-
buntur, *l. 1. & auth. ſicut hereditas, C. de legit. tut. §. ex his de here.
ab inteſt. venien. coll. 9.* Et ſi plures concurrant eiuſdem gradus, ex
illis apud iudicem communiter conuenientibus, eligendus eſt
vnus vel plures vt magis idoneo vel idoneis tutela committatur,
*d. auth. ſicut hereditas, §. 1. & l. legitimos, §. in legitimis de legit. tut. in
P. l. 3. de admin. tutor. in P.* propter commodiorē adminiſtratio-
nem. ¶ Tranſit † autē hæc tutela legitima non aliæ, non quidem 7
heredita-

hereditario iure ad alium, ſed iure proximitatis ad liberos virilis
ſexus, ſi perfectæ ſint ætatis, *l. tutela plerunque 16. de tutel. lib. 26.*
8 *P. tit. 1.* ¶ Singulare † & illud quod notat Ioan. Faber *in §. ſi. de fi-*
*ducia. tutel.* vt ſi proximior in gradu propter minorem ætatem a
tutela repellitur, ſequens in gradu legitimus non poteſt eſſe, ſi
minor poſſit eſſe legitimæ ætatis, antequã ille pupillus, de quo
agitur, pubes ſit, ſed interim donec proximior adipiſcatur æta-
tem iuſtam, pupillo datiuum tutorem conſtituendum, *l. idem fiet,*
*de teſtam. tut. in P.* qui deſinet tutor eſſe adulto facto proximio-
re, *l. non ſolum, §. ſi libertus, de excuſat. tut. l. ſi tutor. §. 1. de tut. & ra-*
*tio. diſtrah.* At diuerſum, ſi proximior, qui vocatur ad tutelã, non
poſſit capax eſſe tutelæ ante pupillum: nam tunc ex proximiori
gradu legitimus, non datiuus erit tutor, *l. pen. de legit. tut.* Idipſum
ſi abſens ſit proximior, vel apud hoſtes, nam interim datiuus a
prætore fit: non autem legitimus remotior vocatur, *l. 1. §. apud*
*hoſtes. eod. P.* niſi in iure cedant vel ſe excuſent, *l. 3. §. quæri poteſt,*
9 *eod. Vlp. in tit. tit. 11.* ¶ Porro † hoc modo ad proximiores primum
defertur tutela a lege, quod bona tutius adminiſtrari, nec melius
conſeruari poſſe lex crediderit, quã ab eo, qui eadem ad ſe ſuoſ-
que peruentura aliquando ſperet, *l. 1. de legit. tut. in P.* Et dehinc,
quia æquum eſt, vt is, qui lucrum ſperat, onera quoque ſuſcipiat,
*l. ſecundum naturam de reg. iur. l. 1. §. pro ſecundo, de cad. tollen lib.*
*6. C. tit. 50. ca. caritatem 12. q. 2. l. 2. §. ſed cum in ſecundam, C. de*
*furt.* Vt Iuſtinianus notauit in tutela libertorum deferenda pa-
tronis, *l. quia plerunque, de legit. patron. tutel.* Accedit & his o-
mnibus arctior inter proximiores amicitia & affectio, quæ id
10 ſuadet. ¶ Addatur † conſideratio reuerentiæ in maiores, qui ius
quoddam in minores propinquos natura ipſa obtinent, *leg. 1. de*
*emenda. propinq.* vnde & naturalis lex videtur proximiores ad tui-
tionem & emendationem minorum prouocare. Quemadmo-
dum etiam Romulea priſca lege, maritus qui ius animaduerten-
di in vxorem habebat, cognatos eius rei gratia in conſilium ad-
hibebat. Sic enim ait Dionyſius Halicarnaſſæus, *libr. 1 antiq. Ro-*
*man. Vxor ſi aliquid peccaſſet, pœnas dabat ex mariti læſi arbitrio: de*
*huiuſmodi criminibus cognati cum ipſo cognoſcebant.* Eademque lex
per omnia ſimilis Gallorum refertur apud Iulium Cæſarem, *lib.*
*6. commentar. bell. Gall.*

11 ¶ Legi † 12. tabul. tamen lex Solonis aduerſatur, qua ita iube-
tur, τῶν ὀρφάνων κληρονομήσων ἐπίτροπος μὴ ἔσω. id eſt, *futurus heres*
*pupillis nõ ſit tutor. Diog. Laert. in 1. in Solone.* Nã præſumebat ipſe
proximum agnatum cui de ſuccedẽdo ſpes inſediſſet, inſidiatu-
rum vitæ eius. Et ſic ſecuritati pupillorum proſpexiſſe Solonem
12 optimo iure tradit Alexander ab Alexan. *lib. 6. c. 10. genial. dier.*
¶ Verum † & huic malo occurrũt leges, dum legitimos tutores
cogunt ſatiſdare rem ſaluam pupilli fore, imo & patronũ patro-
nive liberos adhibita ratione patrimonii & perſonarum cauſſa
cognita, *l. legitimos 5. de legit. tut. P.*

## De Legitima parentum tutela. Cap. 10.

Lib. 1. Inſtit. tit. 18. Lib 3. in prin. de leg. tut. P. Vlpian. in fragmen. tit. 11.

1 *Legitima parentum & agnatorum tutela iuris fere eiuſdem hodie, non olim.*
2 *Fiduciam quomodo emancipatione pater contraheret.*
3 *Emancipandi imaginariæ fictiones ſublatæ.*
4 *Filiorum tutela patri eſt naturalis, & tolli non poteſt, & inibi rationes.*
5 *Tutela legitima filiorum etiam matri debita.*
6 *Mater luxurioſe viuens priuatur tutela filiorum.*
7 *Mater lege Claudia tutrix etiam fiebat, & præfertur omnibus tutoribus legitimis & datiuis, non teſtamentariis, aut patri.*
8 *Auus & auia, & auia cum patre ſimul admittuntur in tutela nepotis.*

1 Exemplo patronorum. vt ait Iuſtin. *in §. 1. de legi. paren. tut. lib. 1. In-*
*ſtit. tit. 18.* poſt Vlpia. *l. 3. de legit. tut. in P. recepta eſt alia quæ &*
*ipſa legitima vocatur. Nam ſi quis filium aut filiã, nepotẽ aut neptem*
*ex filio, & deinceps impuberes emancipauerit, legitimus eorum tutor*
*erit.* Parentum legitima tutela eaſdẽ fere rationes admittit, quæ
agnatorum & cognatorum, hodie videlicet: quando ſublata eſt,
quod pertinet ad effectus patriæ poteſtatis & emancipationis,
omnis differentia, §. 1. 2. *3. de hered. ab inte. venien. coll. 9. tit. 1. cum*
*ſim. ibi nota.* vt ſuo loco in ſucceſſionibus ab inteſtato dicemus
2 Deo fauente. ¶ At non † ita olim, lege 10. tab. delata tantũ agna-
tis non cognatis ſucceſſione, §. *1. de Senatuſc. Tertul. §. 1. de legit.*
*agn. ſucceſ.* patre emancipato filio agnato non exſiſtente, donec
inuentæ ſunt fictiones a Iuriſconſultis venditionum, quæ adhi-
bebantur imaginarie in emancipationibus, cum pater contracta
fiducia cum emtore filium vendidiſſet, emiſſetq; , atq; ita tertia
emtione, veluti ſeruum ſuum factum manumitteret. Quo caſu
pro patrono habebatur, *l. 1. in prin. & §. patrem, ſi a par. quis fuerit*
*manumiſ. in P. Vlp. in tit. tit. 11. Caius, lib. 1. Inſtit. tit. 6. l. liberos, §. 1.*
*de capit. dim. P.* & legitimam eius ſucceſſionem, *l. ſi ad patrem 10.*
*de ſuis & legit. hered. in P. l. 2. § obiicitur ad Senatuſc. Tertull.* & tu-
telam qualem patronus in ſeruo manumiſſo habet, *§. 1. de legit.*
*parent. tut. lib. 1. Inſtit. tit. 18.* ſibi reſeruaſſe cẽſebatur ex interpre-
tatione legis 12. tab. per leges facta: alioquin naturalis pater, non
niſi ex iure prætorio, ad ſucceſſionem filii emancipati admitte-
batur, *d. l. ſi ad patrem, & d. l. 1. §. patrem, ſi a par. quis fuer. manu-*
*miſſ.* Quod ius ciuile priſcum dicitur, *l. 2. ad Senatuſc. Tertul. & d.*
*l. 2. § obiicitur, eod. in P.* quo vicem legitimi tantum tutoris ſuſti-
nebat in filio impubere emancipato pater, *Vlp. in l. 3. §. fin. de le-* 3
*git. tut. in P.* ¶ Sed † hæc omnia antiquata ſunt, & fictiones illæ,
imaginariæq; venditiones ab emancipationibus exploſæ ſunt, *l.*
*fi. de emanc. liber. C. §. præterea cum 2. verſ. ſeq. quib. mo. ius pat. pot.*
*ſol. lib. 1. Inſtit. tit. 12. §. ſed quia ſtipulationes, de fideicom. hered.* re-
ctaque via licitum eſt parentibus filios emancipare ſine ambagi-
bus coram magiſtratibus. Et eadem iura nihilominus præſtan-
tur parentibus in bonis filii, eademque tutela ex manumiſſio-
ne impuberis naſcitur illis, quę ſolent dari patronis in bonis li-
bertorum, *d. §. præterea, verſ. & tunc, & §. præterea, quibus mod.*
*ius pat. pot. ſol. vbi exceptiones ſimilitudinis adfert gl.* Et proinde ho-
die parentum legitima dicitur tutela in filios emancipatos im-
puberes, *titul. de leg. par. tut. & §. primo, de fidei. tut.* extenſione fa-
cta legis 12. tab. id eſt, exemplo patronorũ. ¶ Sed † & tutela hæc
naturalis patri eſt filiorum, quæ nec emancipatione ciuili poteſt 4
dirimi. Nec ita efficax eſt ciuilis ratio, vt vincat iura ſanguinis, *leg.*
*iura ſanguinis, de reg. iur. in P. l. cum in adoptiuis, C. de adopt. l. eas. de*
*cap. dim.* aut ius cognationis naturale vllo pacto minuere poſſit,
*l. ius autem agnationis, de pact. in P.* &,

*Naturam expellas furca licet, vſque recurret.*

Qui enim fieri poteſt, vt pater deſinat eſſe pater, etiã illo vo-
lente? quæ enim facto ipſo ſunt, pro infectis haberi non poſſunt,
*l. in bello, §. factæ, de captiuis, in P.* Et natura patris eſt, diligere
filios & ſupra omnem affectionem aliorum, eos beneuolentia
& defenſione proſequi, etiam plus quam propriam perſonam,
*l. iſti quidem, quod met. cau. P. l. fi. de curat. furio. C.* neque præſu-
mendum eſt, tam ſæuum eſſe patrem, vt hanc naturã piam, actu
ſolemni & veluti profeſſione impietatis, exuiſſe videri velit. Fi-
nis potiſſimus emancipationis eſt, fauor filii, vt ſibi poſthac non
patri quærat, vt dum in poteſtate erat, *l. placet, de acq. hered. P. §.*
*igitur, per quas perſo. nob. acq. §. 1. per quas perſo. nob. oblig. acq. l. cum*
*oportet. de bon. quæ liber. cum ſimil* Et ideo beneficium illi pater di-
citur conferre, *l. 1. de ingrat. lib. C. l. 1. de offic. prætor. lib. 1. P. tit. 43.*
Abſurdum autem eſſet, vt quod fauore alicuius introductũ eſt,
in eius odium & perniciem contorqueatur, *l. quod fauore, de le-*
*gib. C.* Sic dicimus priuilegium militare in condendo teſtamen-
to conceſſum minori militi, nõ tollere legem fauore eius latam
ob imbecillitatem cõſilii, *l. ſi Rufinus 4. de teſt. milit. lib. 6. C. tit. 21.*
Ex conſuetudine diuerſarum patriarum, decedẽte patre vel ma-
tre nobili relictis liberis, ſuperſtes cõiunx dicitur habere cuſto-
diam nobilem filiorum minorum maſculorum, vſq; ad 14. ann.
fœminarum vſque ad 12. quæ cuſtodia quam dicunt, *garde noble,*
quaſi tutela eſt, ideo hos tutores cuſtodes & obſeruatores, ad
quos & tutelæ onus pertinet, dixit Vlp. *in l. 3 §. nec quiſquam pu-*
*tet, de admin. tut. P. facit & lex Conſtantini fin. §. minores, de ſenten.*
*paſſ. & reſtit.* Eſt & hæc tutela conſuetudinaria inſtar legitimæ, vt
ait Bald. *conſ. 145. incip. præmiſſis verbis, lib. 2.* Et in hac præfertur
pater matri, & auus paternus auiæ tam paternæ quam maternæ,
*Bar. in l. ſi quis ſub conditione, nu. 9. de teſtam. tut. Ang. Aret. in §. v-*
*nico, in 8 de legitim. agnat. ſucceſſ.* Sunt cõſuetudines, quæ tradant
iuxta iuris communis diſpoſitionem, huiuſmodi tutores ſeu cu-
ſtodes gardiæ nobilis non facere fructus ſuos bonorum mino-
rum quos habent in cuſtodia, pendente minoritate, vt apud Cal-
uimontenſes, *tit. 1. art. 6.* Bleſenſes *tit. des gardes & balliſtres, art. 4.*
Alibi, vt apud Barroducæos, titulo de ſtatu & iure perſonarum,
in eorum conſuetudinibus: pater, mater, auus, auiaue, qui cu-
ſtodiam nobilem ſuſcipiunt minorum, faciunt ſua mobilia, &
fructus ſuos hereditatis minorum, pendente tempore gardiæ,
quæ durat vſque ad 14. annum maſculorum, & 12. fœminarum
cum onere tamen, vt teneantur minores alere & ornare iuxta

conditionem domus, & ſoluere debita tam realia quam perſonalia & immobilia ei iure patris familias tueri & colere, & in ſtatu decenti conſeruare. Et dummodo qui habẽt hanc gardiam, non transeant ad ſecunda vota: quo caſu faciunt quidem perceptos fructus ſuos, ſed de mobilibus reddunt minoribus rationem. Habet hoc ipſum ius gardiæ nobilis, Rex Galliæ in Normania ſi quando minoribus filiis relictis decedat aliquis nobilis, fructuſque lucratur, & cedit eos cui vult vſq; ad tempus pubertatis: cum onere vt iuxta conditionem & qualitatem familiæ minoribus de omnibus proſpiciatur, & rebus eorum. Subinde, ſi patroni ſeruorum manumiſſione curam eorum ſi impuberes ſint abieciſſe non videntur, & ſubire illorum tutelam debent, §. 1. *de legit. patro. tute.* multo magis & parentes liberorũ minorum emancipatorum, ſaltem æquali ratione, quod patroni & parentes, & liberti & liberi emancipati fere eodem iure reguntur, *tit. in P. & C. de obſeq. a lib. & libert. parent. & patron. præſtand.* Alioquin illis interdicenda eſſet emancipatio, vt immanitatis exercendæ inſtrumentum: præſertim, quia, vt ait Diocletian. & Maxim. abdicatio, quæ Græco more ad alienandos liberos vſurpabatur, & ἀποκήρυξις dicebatur, Romanis legibus non comprobatur, *l. abdicatio 6 de patr. pot. lib. 8. C. tit. 47. Dion. Halicar. in 2.*
5 *antiq.* ¶ Et † quemadmodum ἀπάτορες, dici non poſſunt filii, ſic neque ab ea paterna ſolicitudine poſſunt eximi. In matre certe ſublata priſci iuris prohibitione, quæ illam a tutela arcebat, *l. 1. quando mul. tut. offic. fun. poſ. lib. 5. C. tit. 35. l. iure noſtro. de teſt. tut. in P. l. fin. de tute. in P.* adhuc firmatur paterna emancipantis tutela: nam mulieres filios non habent in poteſtate, *§. fœminæ, de adop. l. nulla. de ſuis & legit. hered.* Et tamen iſtæ ſi velint, tutrices filiorum eſſe poſſunt *l. fi. quan. mul. tut. offic. &c.* & auia quoque. Atque vnum illis ſufficit, videlicet vt a ſecundis nuptiis abſtineant, quibus interuenientibus finitur tutela. Et remiſſum ſacramentum illis, quod ante præſtabant, renuntiantes nuptiis & Velleiano *auth. ſacramentum, & authen. matri & auiæ. C. quand. mul. tut. of. &c. §. ex his, de hered. ab int. ven. coll. 9. qui corrigitur in ſacramento per §. propterea, tit. vt ſine prohib. matr. debit. & cred. &c. coll. 7. conſtit. 4. in auth.* Et dummodo etiam mater honeſte vixe-
6 rit. ¶ Nam † in luxurioſe viuentem ſtatutæ ſunt eædem pœnæ, quę in transeuntes ad ſecundas nuptias, *Bar. Bal. Ang. & Sa yc. in l. in his ſolis. C. de reuoc. don. Ang. Aret. in tit. de legit. patro. tutel. in fi. facit l. fin. C. quan. mul. off. &c. ibi pudicitiam ſuam intactam conſer-*
7 *uet &c.* & ideo priuatur tutela. ¶ Lex etiam † Claudia fœminarum legitimas tutelas ſuſtinet, vt ait Vlpianus *in ti. iur. tit. 11.* Et hodie præfertur mater & auia ſi velint, & petant tutelam filiorum, legitimis aliis tutoribus omnibus & datiuis: non autem teſtamentariis, *in auth. matri. & auiæ d. tit. quan. mul. &c.* neque patri, ſi ſuperſit pupillo, *l. 2. ibi, matres quæ amiſſis viris, eod.* ¶ Admit-
8 tuntur † tamẽ ſimul auus & auia, & auia cum patre in tutela nepotis, vt notat Accurſ. *in d. auth. matri. in ver. matri. & in ver. teſtamentariis, in fin.*

## De Patronorum legitima tutela. Cap. 11.

Inſtit. lib. 1. tit. 17. L. 3. de legit. tut. P.

1 *Patronum tutela libertorum ex lege 12. tab. per extentionem.*
2 *Liberti Orcini quos habeant tutores.*

1 Ex lege duodecim tabul. † libertorum & libertarum tutela ad patronos liberoſque eorum pertinet, videlicet nõ ex verbis legis, ſed ex mente, per interpretationem verborum, *in §. 1. de legiti. patron. tutel. l. 3. de legit. tut. in P.* quæ ad agnatos deferebant ab inteſtato ſucceſſionem agnatorum, & conſequenter curam eorum: vt idem intelligatur in patronis, ad quos ab inteſtato ſucceſſio libertorum poteſt peruenire, *§. 1. de ſucceſſio. liberto.*
2 ¶ Proinde † qui ex ſenatuſconſulto Rubriano peruenit ad libertatem, non habebit tutorem eum qui rogatus eſt: ſed Orcinus libertus effectus pertinebit ad familiam teſtatoris. In qua ſpecie, incipit tutela ad liberos patroni primos pertinere, quę ad patronos non pertinuit: quod quidem in omnib. libertis Orcinis locum habet, teſtamento manumiſſis, vt iiſdem verbis ſcribit Vlp. *in l. 3. de legit. tut. in P. Quid ſit Orcinus libertus iam diximus in tit. de libertis.*

## De Fiduciaria tutela. Cap. 12.

Lib. 1. Inſtit. tit. 19.

1 *Continuatio cap.*
*Fiduciarii tutores qui, eod. & 3.*
2 *Fiduciariæ tutelæ & patronorum differentia.*
3. 4. *Fiduciaria tutela quare dicatur.*
5 *Frater lege 12. tabul. non erat legitimus tutor fratri emancipato, quare hodie contra.*

Accedit tractatio † de fiduciaria tutela, velut appẽdix ad ſuperiorem parentum proxime explicatam, dum in locũ patris tutoris, qui emancipauit nepotes vel filios minores, & mortuus eſt ante ætatem legitimam eorum filii eius alii ſi virilis ſexus ſuperſint, fiduciarii tutores filiorum ſuorum, nepotum videlicet a patre emancipatorũ, vel fratris vel ſororis, vel ceterorum efficiuntur: ſi modo perfectæ ſint ætatis & illi, *§. 1. & fi. de fiduc. tute. explicat optime Theoph. eod. tit. lib. 1. Inſti. iur. tit. 19.* ¶ Quod non † poteſt dici de tutela libertorum minorum, mortuo patro- 2
no, quæ pertinet ad filios patroni, vt ad legitimos, non vt ad fiduciarios. Et ratio diuerſitatis eſt, ex eo quod libertus ſi ſeruus manſiſſet, eodem iure vtique remanſiſſet apud liberos domini poſt mortem eius, id eſt, eiuſdem ſtatus poſt mortem, ac in vita domini fuiſſet. At contrarium in filio, qui ſi in vita patris non fuiſſet emancipatus, tempore vitæ in eius poteſtate quidẽ fuiſſet, at poſt mortem nequaquam, nec in fratrum poteſtatem recideret, neque ideo in tutelam, *§. atqui, cum 2. ſeq. de fiduc. tut.* Neque ius, quod ex emancipatione filii habet parens, ad alios filios, vel ſucceſſores transfert, *l. 1. §. liberos, ſi a pat. quis fuer. manu. lib. 37. P. tit. 12.* in manumiſſione autẽ ſerui diuerſum eſt, qua transfertur ius in liberos, *l. filii 9. de iur. patro. eod. libr. tit. 14. l. ſi operarum 29. de oper. libert. lib. 38. P. tit. 1. l. vni, §. ſin autem, de latin. libert. toll.* ¶ Vlpianus, *Qui liberum caput,* inquit *in tit. tit. 11. man-* 3
*cipatum ſibi, vel a parente, vel a coemtore manumiſit, per ſimilitudinem patroni tutor efficitur, qui fiduciarius tutor appellatur.* ¶ Fiduciarii † porro hic tutores dicuntur, habita ratione fiduciæ ſeu fi- 4
dei contractæ in emancipatione, ſeu pacto, quo diximus contractam fuiſſe fiduciam in parentum tutela. Alii referunt ad fidem, quam pater & lex habent fratri propter propinquitatem ſanguinis, eum fratris minoris tutelam non repudiaturum. Vtraq; ſententia probabilis eſt: cum fiducia, & fiduciarius a fide habita dicantur, *Iabolen. in l. Seius Saturnius 46. ad Senat. Treb.*

¶ Frater † quidem iure antiquo erat tutor fratri legitimus, ſi 5
ante mortem pater non emancipaſſet, quia agnatus proximus fratri minori, *l. tutor. ad Senatuſc. Velleia. l. fin. C. de legit. tut.* at dum emancipabatur, non poterat talis eſſe, quia emancipatione capite minutus perdebat ius agnationis, *l. tutelas, de cap. diminut.* nec ad emancipati inteſtati ſucceſſionem ſui vocabantur iure ciuili vel lege duodecim tabularum, ſed per prætorem per bonorum poſſeſſionem vnde cognati, *§. fi. de legit. agnat. ſucceſſ. cum ſimilib.* Non autẽ erat capitis minutio, cum morte patris quis ſui iuris fiebat, *l. ſi filius, §. fi. ad Senatuſc. Maced.* & ideo tunc nõ deſinebat eſſe agnatus. Ceterum hodie cum cognationis & agnationis, vt ante dixi in legitima tutela differentiæ expunctæ ſint, & fratres quoque emancipati ſuis ſuccedant, & contra emancipatis ſui ex lege poſtea introducta, *l. meminimus, C. de legit. hered.* fratres dicimus quoque minorum fratrum emancipatorum viuente patre poſt mortem eius legitimos tutores, hoc eſt, auctoritate legum vocatos, retenta quoque ratione legis 12. tabul. vt quia ad ipſos ſucceſſio deferenda eſt, & tutela quoque perueniat, *l. quo tutel. de reg. iur.*

## De Datiua tutela, & de Attilianis, aliiſque tutoribus. Cap. 13.

1 *Tutor datiuus quando conſtituitur.*
2 *Datiui nõ dantur tutores quando teſtamẽtarii, vel legitimi ſunt: & ſi dentur illis non excuſatis, periculum non ad datos, ſed ad teſtamentarios vel legitimos tutelæ pertinet.*
3 *Tutela datiua non datur habenti aliunde tutorem.*
4 *Tutor non datur, tutorem habenti, nec curatorem habenti, curator.*
5 *Datiua tutela decernitur, vel petitione præcedente, vel officio iudicis, quomodo.*
6 *Mater tenetur filiis etiam naturalibus tutores petere, alioquin eis non ſuccedit.*
7 *Tutores filiis patronorum libertus cogitur petere.*
8 *Tutores qui poſſint, ſed non coguntur pupillis petere.*
9 *Tutores clariſſimarum perſonarum, a quibus eligi & dari poſſunt.*
10 *Tutores interdum petit dari & curatores creditor eorum.*
11 *Tutores non habentibus & nemine petente dantur interdũ a magiſtratibus.*

12 *Tutores a quibus magiſtratibus dari poſſint.*
13 *Lex Attilia a quo lata, & inde tutores.*
14 *Lex Iulia & Titia de tutoribus in prouinciis dandis, qualis.*
15 *Iure ciuili nouo a quibus dantur tutores.*
16 *Tutoris datio neque imperii, neque iuriſdictionis eſt, nec delegari poteſt.*
17 *Magiſtratus qui poſſunt dare tutores enumerati.*
18 *Epiſcopi an tutores hodie dari poſſint, & quando.*
19 *Cuius territorii magiſtratus eſſe debeat, qui tutores dat, an pupilli, an tutoris, an vtriuſque, vel alterius.*
20 *Forma dationis tutoris, ne erretur, inquiratur de moribus & facultatibus eius, nuntietur abſenti da.o.*
21 *Qui tutores dari, & quibus diebus poſſunt.*

1 QVando † nullus pupillis eſt tutor teſtamentarius vel legitimus, §. *1. de Attil. tuto.* vel nemo ex teſtamento heres exſiſtit, § *ſed et ſi, eod. l. ſi nemo, 9 & l. ſi hereditas, 10. de teſta. tut. in P.* vel is idoneus non eſt, *l. ſæpe ad alium, 13. de curat furio. li. 27. P. tit. 10.* qui vel ſit impeditus adminiſtrare, vel quia pendet conditio, *l. ſi quis ſub conditione, 11. de teſta. tut. d. §. ſed etſi, de Attil. tuto.* ſub qua datus eſt teſtamento, vel quia minor eſt legitimus, *§. fi. de fiducia. tute. l. 1. de legit. tut. in P.* vel quia captus ab hoſtibus datus, *d. §. ſed etſi, & l. 1. § ſi apud hoſtes, de legitim. tutor.* vel mortuus vel in perpetuum relegatus, *l. 3. C. qui peta. tuto. l. licet, 4. in quib. caſibus tut. hab. &c. li. 5. C. tit. 36.* tunc dari alium oportet. Quandiu tamen teſtamentarii vel legitimi ſunt, non poſſunt alii dari, niſi prius illi ſe excuſauerint, vel reiecti fuerint, *§. ſed etſi teſtamento, de Attil. tut. l. ſi quis ſub conditione, 11. de teſta. tut.* ¶ Singulareque
2 eſt, † quod monet Ioannes Faber vſque adeo neceſſario perquirendas eſſe teſtamentarias & legitimas tutelas, & eas præcedere datiuam: vt ſi teſtamentarii vel legitimi excuſati non ſint, datiua a iudice nihil operetur, nec valeat, & periculum adminiſtrationis ad teſtamentarios vel legitimos non excuſatos pertineat, nihilominus a tempore quo pupillus eguit tutore, *Fab. in §. 1. de Attil. tuto.* Quod certe expreſſe cautum inuenio a Diocletian. & Maxim. CC. *in l. ſi ſororis, 9. qui dar. tut. v. l. curat. poſ. lib. 5. C. titul. 34.* quorum verba hæc, *Si ſororis tuæ filius tutore legitimo patruo conſtituto nec vllo excuſato priuilegio tutor datus es: cum habenti tutorem, alium dari iura prohibeant, neceſſitatem adminiſtrationis ad eum pertinere, nec te datione teneri non ambigitur.* ¶ Ratioque alia quod ipſi velint nolint, citra iuſtam excuſationem tutores ſint, & ſic in mora ex qua ſciunt ſe datos conſtituuntur. Proinde hac lege non tenebitur ſecundum mentem Fabri, mater vel auia, ſi non petant tutelam, quia illis non defertur tutela, niſi velint & petant, *in auth. vt lice. matri & auiæ, 2. quando mul. tuto. offi. fun.*
3 *pot. C.* ¶ Subſidiaria † itaq; eſt hæc datiua tutela, toties exſequenda, quoties nullus tutor eſt, *vt antea diximus:* nam quoties is qui iam tutor eſt, non poteſt ſupereſſe tutelæ: aut munere ſuo fun-
4 gi, non tutores, ſed curatores dandi ſunt. ¶ Quia † tutorem habenti, tutor dari non poteſt, *§. interdum, de curat. & d. l. ſi ſororis, l. cum iure, qui pet. tut. C. l. licet, 4. in quib. caſib. tut. hab. & c. lib. 5. C. tit. 36.* ſicut nec curator curatorem habenti, *l. cum ſemel, 5. de tute. lib. 26. P. tit. 1.* Niſi cauſſa cognita neceſſitas cogat: vt diffuſum patrimonium ſi ſit, & amplum, *l. propter late diffuſum, 3. in quib. cau. tutor. vel curato. hab. tutor. dar. pot. libr. 5. C. tit. 36.* Daretur etiam alius tutor tutorem habenti ad tempus, ſi prior appellaſſet, *l. 2. de tutor. & curat. dat. ab iis, &c. lib. 26. P. tit. 5.* vel donec alius redeat, vel idoneus fiat.

5 ¶ Bifariam † porro datiua tutela decernitur, vel petitione præcedente, vel ex officio magiſtratus. In petitione perſonæ quædam tutorem pupillo vel minori dari tutores vel curatores tenentur iure petere: aliæ quædam non tenentur, ſed poſſunt
6 petere, videlicet a magiſtratibus. ¶ Tenentur † primum matres, quæ ſi non petierint, indignas ſucceſſione filii ſe faciunt, *l. 1. 2. 3. 4. qui pet. tutor. eod. li. tit. 6 l. 3. & l. matris pietas, 6. & l. cũ a matribus, 8. & ſeq. eod. lib. 5. C. tit. 31. l. matres, & l. omnem, ad Senat. Tertul. C.* Quod & in liberis earum naturalibus tantum locum habet, quibus non petitis eis non ſuccedunt, *l. fin. C. qui pet. tuto.* Verumtamen ſi filii iam habeant tutores alios, ſi non petant, non committunt in legem, *l. cum iure, 9. C. qui pet. tutor.* nec etiamſi non petant illis curatores: cum puberes annis 25. ſibi petere poſſint, *l. matris pietas, 6. §. 1. eod.* Et quamuis exigendum non ſit a pupillo, vt tutorem petat, vel eum conueniat, *l. 2. de tutel. in P.* tamen recte ſibi curatorem petit, *l. 3. §. fi. qui pet. tutor. in P.* Imo ſi non petat & egeat, cogitur petere, *l. 3. §. pen. de tutel. P. l. 1. C. qui pet. tu-*
7 *to.* ¶ Item † liberti filiis patronorum petere debent tutores, alioquin negligentia vel malitia omittentes, vt deſertores obſequii punientur, *l. 2. §. liberti, eod. in P. l. 2. C. eod. tit.* ¶ Poſſunt † ſed 8
non coguntur petere tutores pupillis conſtitui, cognati, affines, amici parentum, & educatores ipſorum puerorum, *l. 2. qui pet. tuto. in P. l. nepotibus, 10. C. eod.* amita, *l. amita, 5. C. eod.* alii vix poſſunt, nec coguntur, vt nec etiam qui a tutela excuſati ſunt petere non teneantur, *l. 3. qui pet. tuto. in P.* ¶ In † clariſſimarum perſo- 9
narum pupillis nominantur & eliguntur a ſenatoribus tutores: & ſi ſenatores eo in loco non ſunt, a curialibus ciuitatis eius loci. *l. 1. de tutor. & cura. illuſtr. perſon. lib. 5. C. tit. 33.* ¶ In † defectum 10
quoque petentium, creditor petere poteſt, dari pupillo debitori tutores, vt habeat cum quo experiatur, *l. ſi filius debitoris tui. C. qui pet. tuto.* ſi modo prius proximos rogauerit, vt peterent, & contemſerint, *l. 3. §. 1. eod. tit. in P.* ¶ Poſſunt † & nullo petente et- 11
iam a magiſtratu dari, *l. 1. de iuriſd. omn. iudi. P. l. quod dicis, qui dar. tuto. poſſ.* Qui tamen ſeipſum dare non poteſt, *l. 4. de tutor. & curat. dat. ab his, &c. in P.* etſi collegam dare poſſit, *l. vbi abſunt, 19. eod.* ¶ Qui † ſint autem magiſtratus, qui dent, & qua formula da- 12
re debeant, leges variæ præſcripſere, ex quibus quædam in deſuetudinem abierunt, quædam adhuc retinentur, aliæ quoque ſubrogatæ ſunt. Quatuor olim leges hac de re latæ, Attilia, Iulia, Titia, Iunia: ex quarum auctoritate, non ex propria magiſtratuum iuriſdictione dabantur tutores. ¶ Attilia † lex fertur lata, vel 13
ab A. Attilio Galatino, vel a C. Attil. Regulo temporibus belli Punici primi, cum bello aduerſo pluribus Romanis cæſis, complures Romæ orfani relicti fuiſſent. *Si cui nullus omnino tutor fuerit,* inquit Iuſtinianus, *§. 1. de Attil. tuto. li. 1. Inſt. tit. 20. ei dabatur quidem in vrbe a prætore vrbano, & maiore parte tribunorum plebis tutor ex lege Attilia.* In epitomate Vlpiani ſeu in eius fragmentis dicitur, *quod lex Attilia iubet mulieribus pupilliſve Romæ, non habẽtibus tutores, dari a prætore, videlicet vrbano & maiore parte Tribunorũ plebis, quos tutores Attilianos vocam⁹, Vlp. in titu. tit. 11.*

¶ Lex † Iulia & Titia in prouinciis poteſtatem dandi tutores 14
præſidibus prouinciarum concedebat, *§. 1. de Attil. tuto.* Arbitror ego illas leges, habuiſſe illud ſingulare propter auctoritatem eorum, qui concedebant tutores, nempe prætoris vrbani, tribuni, & præſidum prouinciarum, vt ſine cautione exigenda, rem pupillorum ſaluam fore, & ſine mandato de cogendis tutoribus, poſſent tutores ex arbitrio conſtituere & cogere, *§. ſed ex his, verſ. nam ſupra ſcriptis, de Attil. tuto.* Vlpianus legem Iuliam ad filias reſtringere videtur, dum ait, *Ex lege Iulia de maritandis ordinibus, tutorem datum a prætore vrbis ei mulieri virginive, quam ex hac ipſa lege nubere oportebat, ad dotem dandam, dicendam, promittendamve, ſi legitimum pupilla non haberet. Et poſtea ſenatum cenſuiſſe, vt etiam in prouinciis quoque ſimiliter a præſidibus earum, ex eadem cauſſa tutores darentur, Vlpian. in titul. tit. 11. Iunia lex, idem d. tit. tutorem fieri iubet Latino, vel Latinis impuberibus eum, qui etiam ante manumiſſionem ex iure Quiritium fuit.* ¶ Verum quia
iſtæ † leges ex vſu abierunt, *§. ſed ex his. de Attil. tuto.* & earum ha- 15
bemus in iure tractationem, dicemus in ſumma omiſſa latiori de illis quæſtione, repetendum quod his verbis tradit Iuſtinianus *§. ſed hoc iure eod. Hoc iure vtimur, vt Romæ quidem præfectus vrbi, vel prætor ſecundum ſuam iuriſdictionem: in prouinciis autem præſides ex inquiſitione tutores creent, vel magiſtratus iuſſu præſidum, ſi non ſint magnæ pupilli facultates.* ¶ Tutoris † datio, neq; imperii 16
eſt, neq; iuriſdictionis: ſed ei ſoli competit, cui nominatim hoc dedit, vel lex, vel ſenatuſconſultum, vel princeps, *Vlp. in l. muto, 6. §. tutoris datio, de tutel. P. l. ſi eod.* ¶ Proinde † non omnes magi- 17
ſtratus, qui imperium vel iuriſdictionem habent, ideo dare tutorem poſſe dicuntur. Quare quibus hæc facultas indulta, aliis mandare vel delegare non poſſunt, *l. nec mandante, 8. de tutor. & curat. dat. ab his in P.* Iubere tamen qui dare poſſunt, alios magiſtratus, quibus etiam conceſſum eſt, vt poſſint dare, vt dent ſi maiores ſunt, non dubitamus, *d. §. ſed hoc iure, l. pen. de offi. proconſ. in P. l. Lucius Titius, 47. §. cum in teſtamento, de adminiſt. tuto. P. l. quod dicis, 6. qui dar. tuto. poſſ. C.* Ius dandi tutores habebant conſules, *d. §. ſed ex his.* Antoninus autẽ Philoſophus Cæſar, primus prætorem tutelarum fecit, cum ante a conſulibus peterentur vt diligentius de tutoribus tractaretur, teſte Iulio Capitolino *in vita Anton. Philoſ.* Vlpianus ante Iuſtinianum teſtatur, ius dandi tutores conceſſum fuiſſe omnibus magiſtratibus municipalibus, eoque iure vſos: dummodo daretur is, qui municipii eorum eſſet, *Vlpian. l. ius dandi, 3. & l. vbi, 19. § final. de tutor. & curat. dat. ab his, &c. P. l. 1. de magiſtrat. conuenient. Cicer. in Verrem.* Item conceſſum conſulibus, proconſulibus, & oratione

Marci eorum legatis, moderatoribus prouinciarum, eis dare qui eiuſdem prouinciæ eſſent, vel ibi haberent domicilium, *l. 1. de tutor. dat. ab his.* Et Paulus iam reſponderat, *vbi abſunt ex loco vbi tutor petendus, magiſtratus, qui tutores dare poſſunt, decurionibus iubere dare, dummodo legitime conueniant, l. vbi abſunt. 19. de tutor. & curator. dat. ab his. P.* Iuſtinianus poſtremo loco ſancit, *vt nec exſpectata iuſſione præſidum, ſi facultates pupilli vel adulti vſque ad quingentos ſolidos valeant defenſores ciuitatis vna cum religioſiſſimo antiſtite ciuitatis, vel alias publicas perſonas, id eſt, magiſtratus, vel iuridicum Alexandriæ ciuitatis, tutores vel curatores creare, cum legitima cautela, id eſt, periculo eorum qui recipiunt. §. nos autem, de Attili. tuto. Nouel. 15.* Antiſtites etiam hic Iuſtinianus ſacros, capaces notionis tutelæ & tutorum facit, videlicet ea ratione, qua alibi *in l. tam dementis, 21. de epiſc. aud. libr. 1. C. tit. 7.* vult & antiſtitis ſententia, dotes & nuptias filiorum furioſorum & amentium definiri & ſtatui: quia orphanorum & miſerabilium perſonarum cura & inſpectio, ſolicitudini epiſcopali iniuncta eſt, *l. 1. eod. C.* vt cauſſa Dei. *Quia dominus cuſtodit aduenas, pupillum & viduam ſuſcipiet, Pſal. 145.* At citra hanc miſeriæ & neceſſitatis cauſſam, hodie forſan antiſtes ſe non immiſcebit dationi, niſi in defectum ſecularis iudicis: quo caſu deuolueretur poteſtas ad eccleſiaſticum, *c. ex tenore, & c. licet, de for. compet.* Exceptis locis vbi habet iuriſdictionem temporalem, vbi proculdubio poteſt, *c. ſi duobus, de appell.* Vult & Iuſtinianus in curatoris furioſi iuramento antiſtitem adeſſe in prouinciis & locis vbi eſt, *l. final. §. ſed cum antiquitas, & §. in prouinciis, de curat. furio. lib. 5. C. tit. 70.* Si pupillus tamen ſit clericus ſecundum Bartolum *in l. 1. de tuto. dat. ab his, &c.* tutor ei dari debet per iudicem eccleſiaſticum, non per laicum: quia datur potiſſimum tutor perſonæ, non bonis.

18 ¶ Verum † laicum dare non poteſt, quia iuriſdictionis epiſcopi non eſt, *auth. ſtatuimus, de epiſco. & cleri.* ſed clericos alios vel religioſos, eoſque iure canonico, *ca. peruenit. 86. diſtinct.* non ciuili, *auth. presbyteros, de epiſc. & cler.* Poterit & laicos nominare iudici ſeculari, quos ſubire tutelam ſecularis cogat: vt notant Ioan. Faber & Angelus, *Ioan. Fab. in §. 1. nume. 4. & ibi Ang. Aretinus, in*

19 *nu. 10. de Attil. tutor.* ¶ Cuius † autem loci magiſtratus huiuſmodi eſſe debent, qui creare poſſint tutores, an domicilii pupilli, an facultatum, an vtriuſque, an alieni etiam ab iſtis, non vnicam habes analyſeos ſpeciem, ſed diſtinctione ſuffultam. Conſentiunt quidem omnes: nonniſi ſuæ iuriſdictionis pupillis tutores per magiſtratus dari poſſe, quia lege ita expreſſe cautum, *l. neque a præſide, 5. qui dare tut. vel cura. poſſ. lib. 5. C. tit. 34. l. 1. §. fin. de tut. dat. ab his, in P.* At quomodo iuriſdictionis iudicis dicatur pupillus, non in omnibus conſentiunt interpretes. Ergo dicendum, ſi pupillus bona & domicilium habeat in vno municipio, vel alio loco, proculdubio iudex eius loci tutorem dat: ſi in altero loco moretur, & alibi domicilium habet, iudex vtriuſque loci poteſt dare, *l. 1. vbi pet. tuto. C. l. pupillo, & l. 1. §. 1. de tuto. & curato. dat. ab his, in P. Si tamen,* inquit Ioan. Faber *in §. 1. de Attil. tuto. num. 3. Alter alterum præuenerit, præuentione ceſſat poteſtas alterius iudicis: quod ſi de præuentione non conſtat, vel concurſu ſe impedient, niſi conueniant, l. duo ſunt Titii, de teſtam. tute.* Vel, quod Faber ſequitur, quilibet in iuriſdictione ſui iudicis adminiſtrabit, *l. 2. C. de teſta. tute.* Si tamen in vna prouincia bona & originis domicilium in alia tantum, aut ibi etiam bona habeat: tunc qui eſt datus in loco domicilii, vbique poterit adminiſtrare. Siue datus fuerit a teſtatore, quod caret dubio, ſiue a iudice, *l. 2. de excuſ. tuto. C. §. datus, eod. ap. Iuſtin.* niſi datus ſe excuſet de bonis extra prouinciam tractandis, quo caſu recte eius loci iudex proſpiciet de tutore, *l. non ſolum, §. qui teſtamento, & l. propter, §. licet, & l. iuriſperitos, §. cum oriundus, de excuſ. tuto. l. magis puto, § illud, de reb. eo. qui ſub tut. in P.* Quod ſi pupillus in aliqua prouincia moretur, & in alia habeat domicilium originis & bona, iudex qui cognoſcit in loco vbi moratur, debet hanc quæſtionem reiicere tractandam ad locum domicilii, *l. vnic. per tuto. C. arg. l. cum vnus, § is qui, de bon. aucto. iud. poßid. in P. & eorum quæ notantur a gloſ. in l. heres abſens, §. 1. de iudic. in P.* Bartolus tamen dixit pupillum, etſi iudicio careat, poſſe ſibi conſtituere & eligere domicilium aliquo in loco, vt poſſit ita habere tutorem, *Barto. in l. 1. de tuto. & cur. dat. ab his.* Sic Azo tradit, pupillum extra domicilium exſiſtentem, cum litem mouere alibi vbi eſt deſiderat, poſſe ratione eius litis, & ad illam legitime tractandam, petere ibi ſibi tutorem dari, *Azo in l. 1. qui pet. tut. C. in Summa.* Similiter ſi pupillus alicubi conueniatur, iudex coram quo vocatus eſt, etſi is iudex ſecundum ea quæ diximus extra domicilium non ſit idoneus, eius rei tamen ratione poteſt tutorem dare, *l. fi. §. 1. & ibi interp. de adminiſtrat. tutor. libr. 5. C. tit. 37. Bartol. in dict. l. 1. de tut. & curat.* Quia ratione litis, videtur res fori ſui eſſe: quibus enim iuriſdictio permittitur negotii, his & omnia permiſſa cenſentur, ſine quibus expediri non poſſet, *l. 2. de iuriſd. omni. iudic. in P. l. final. de offic. eius cui mand. eſt iuriſdict. in P.* Neve continentia cauſſæ diuidatur, *l. nulli, C. de iudic.* aut lis protrahatur, *dict. l. final. §. 1. de adminiſtrat. tutor. C.* Et ita plene intelligimus iuridicos prouinciarum, poſſe tutorem in eo caſu dare ſubditis alterius iuriſdictioni, ſi ad eos lis deuoluta ſit, & ita ratione conſequentiæ. Nam aliter non poſſunt, inquit Faber, Seneſchalli ſubditis Baronum dare, niſi in defectum & negligentiam illorum, *Fab. in §. 1. num. 6. de Attil. tuto.* In comitiis Auguſtæ Vindelicorum anno 1548. *in politia Germaniæ habita in his comitiis, articul. 31.* ſub Carolo 5. Cæſare ſtatutum eſt, ne ſinguli tutores vel curatores, ſiue teſtamentarii ſiue legitimi, datiui vel ordinati iudicialiter, ſe tutelæ adminiſtrationi ingerant, niſi a magiſtratu ipſis antea decreta & commiſſa fuerit. Et vt poſtea teneantur de bonis omnibus mobilibus & immobilibus, creditis, debitis, literis, & regiſtris inuentarium conficere: & iurare quod pupillorum ac minorum ſuorum rebus, ac bonis perſoniſque eorum, fidam & honeſtam cuſtodiam adhibebunt.

¶ In petitione † tutoris, ad quam ſecuta datio, ſi erratum in 20
facto ſit, non valet datio, *l. tutor, 10. de tutor. & curat. dat. ab his, in P.* Ante dationem inquiſitio facienda eſt, *§. ſed hoc iure vtimur, de Attil. tuto. l. 2. & 5. l. in confirmando, & ſeq. de confirm. tutor.* vt diximus: dehinc, ſi abſens detur tutor vel curator, dare operam debet, vt nuntiatio ei fiat intra triginta dies, *l. fin. de tuto. & cur. dat. &c. in P.* Nam ab ea denuntiatione incipiunt currere tempora 50. dierum excuſationibus conceſſorum, *l. ſcire, §. quinquaginta, & §. oportet, de excuſat. tutor.* Poſtea ſatiſdatio exigenda ante adminiſtrationem, vt diximus in officio tutoris.

¶ Qui † autem dari poſſint tutores a magiſtratibus, ſatis ap- 21
parere arbitror ex his, quæ diximus proprio capite antea. Porro omni die tutor dari poteſt, *l. nec mandante, 8. §. dari tutor, de tutor. & curato. dat. &c. in P.*

## De tutoribus honorariis, & notitiæ cauſſa datis. Cap. 14.

1 *Tutorum alia diuiſio.*
2 *Honorarii tutores qui, & quando tutelæ onere tenentur, & eorum officium.*
3 *Notitiæ cauſſa tutor datus quis, periculum & officium.*

INter † tutores quidam ſunt quibus adminiſtratio tutelę con- 1
ceditur, alii qui honorarii dicuntur, alii qui notitiæ cauſſa dati dicuntur, *Vlpian. in l. quod ſi forte, 14. §. 1. de ſolution. lib. 48. P. tit. 3.* De his qui adminiſtrant, vel adminiſtrare debent, potior eſt & præcipua in hoc tutelarum tractatu quæſtio. Et de his dictum
iam eſt. Honorarii tutores ſunt, † qui nō gerunt tutelam, ſed ad- 2
duntur gerentibus, vt ſua auctoritate eos in defenſione pupillorum iuuent, & negligentes accuſent: dati vel a teſtatore, vel a iudice, qui tamen immunes a periculo tutelæ non ſunt, *l. ſi quis tutor, §. quod ergo, de rit. nupt. in P.* Ita tamen ſi excuſſis facultatibus tutorum qui male adminiſtrarunt: ipſi non ſoluendo inuenti ſunt, etſi male adminiſtrantes non fecerint ſuſpectos, ob negligentiam videlicet: cum illorum munus ſit obſeruare actus tutorum gerentium, & ſæpe ab illis rationem exigere, & ſolicite curare qualiter conuerſentur: & ſi pecunia ſit, curare vt deponatur ad prædiorum comparationem *l. 3. de adminiſtr. tutor. lib. 26. P. tit. 7.* Horum quoque auctoritate recte a pupillo negotia geruntur, *l. pupillum, de acq. hered. l. quod ſi forte, §. fi. de ſolutio.* Non tamen is dicetur honoris cauſſa datus, qui ita datus eſt, vt rationes ab aliis gerentibus acciperet, *Papini. in l. iure noſtro, 26. §. honoris, de teſta. tute.* aliud enim eſt rationem ab aliquo expoſcere, nam hoc tantummodo honoris eſt videlicet, audire quid, & quomodo geſſerint tutores, & conſilium illis dare in faciendo: aliud rationes accipere, hoc eſt, geſti monumenta & actus, & ſubductionem calculi, & ratiocinia penes ſe habere, vnde hic geſtio quædam eſt, & adminiſtratio. Non autem quando ratio-
nem tantum exigunt generaliter diligentiæ. Notitiæ † cauſſa 3
datus dicitur tutor, is qui ad inſtruendos contutores, ſcilicet de rebus & negotiis teſtatoris vel pupilli, datur: cui & ſolui poteſt, quia & hic vt & honorarius ſi velint, adminiſtrare poſſunt, niſi interdictum ſit nominatim, *d. l. quod ſi forte, §. ſunt quidam, & §. qui notitiæ cauſſa, de ſolutio.* Et hic etiam notitiæ cauſſa datus, per-

inde

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

inde in omnibus adminiſtrationis & aeceſſionis iure conueniri poteſt, atque ceteri tutores, qui eodem teſtamento dati ſunt, *l. quaro, 32. §. 1. de teſta.tute.in P l.1. de peric.tuto.lib.5.C.tit.38.*

## Quibus modis tutela finiatur. Cap. 15.

Lib. 1. Inſtit tit. 22. Lib 5. C. tit. 60.

1 *Pupillorum vel tutoris voluntate tutela non finitur, ſed aliis modis.*
2 *Tutela finitur pubertate pupilli. & pubertas quomodo probetur.*
3 *Tutela ſecundo finitur capitis minutione tutoris. & 5.*
3 4 *Capitis minutio quid, & quotuplex, quidve maxima, media & minima.*
5 *Capitis minutio pupilli etiam minima ſoluit tutelam.*
6 *Tutela tertio ſoluitur morte naturali pupilli, vel tutoris.*
7 *Tutela quarto ſoluitur tempore tutori conſtituto.*
*Tutores dari poſſunt ad certum tempus, ex certo tempore, & ſub conditione.*
8 *Tutela finitur quinto remotione tutoris ſuſpecti.*

1 TVtela † non finitur ex voluntate pupillorum *l. 2. C. quan. tuto. vel curat. eſſe deſi.* ſed aliis modis lege & moribus introductis: vel habita ratione perſonæ tutorum, vel minorum, vel adminiſtrationis. Neque etiam ſola voluntas tutoris ſe tutela abdicantis ſufficit, niſi quo oportet modo fiat, *l. legatus Cæſaris, de*
2 *offic. præſid. in P.* Finitur † itaq; tutela, pubertate adueniente pupillorum, *§. 1. quib. mo. tut finit. lib. 1. Inſtit. titul 22. l. fi. C. quan tut. vel cur. &c. lib 5. tit. 60.* Quæ olim probabatur ex natiuitatis ſcriptura & aliis legitimis probationibus *l. 2. de excu tutor.* & per inſpectionem nudati corporis, quæ tamen formula hodie hic improbata eſt, vt turpis: & definita ætas 12. annorum fœminis, 14. maſculis, pro pubertate conſtituenda. *d. l. fi. d. tit. quan. tuto. §. 1. qui mod. tut. finit. l. 4 de rit. nup. l. qua ætate, de teſtamen. Macrob. li. 1. in ſom. Scipio 6.*

3 ¶ Secundo † finitur tutela, Capitis diminutione tutoris, per quam libertas aut ciuitas amittitur, *§ ſed & capitis minutione, qui. mod. tut. finit. ap. Iuſtin.* Ita hic caput aut ſtatus perſonæ eſt, *§. ſeruus autem, de cap. dimin. ap. Iuſtinia.* qui habet in ſe libertatem, ciuitatem, & familiam: Et capitis minutio, ſtatus huius prioris in alium commutatio, *§. 1. eod. l. 1. eod. in P.* vel ſtatus huius ademtio.
4 ¶ Itaque † minutio capitis triplex, *l. ſi eod.* Maxima, ſi ciuitas aut libertas adimatur *§. maxima eod.* vt ſi quis ſeruus pœnæ fiat atrocitate ſententiæ, vt damnatus ad beſtias, *l. aut damnum. § 2. de pœnit. in P.* & potiſſimum quando ſententia vita adimitur. *l qui vltimo ſupplicio, 29. de pœn. in P.* Nam hodie alioquin nemo bene natus, ex ſententia exſilii vel deportationis ſeruus pœnæ fit, *auth. ſed hodie, de donati. int. vir. & vxo.* Niſi ingrati liberti reuocentur in ſeruitutem, *l. 2. de liber. & eor. lib. C.* vel liberi ad pretium participandum venundari ſe paſſi ſint, *diximus in ſeruis, ex titul. quib. ad. lib. procl. non lic.* nam hi capitis maximam minutionem patiuntur, *d. § 1. de cap. diminutio.* Minor capitis minutio vel media eſt, quando ciuitas quidem amittitur, libertas vero retinetur: vt ſi aqua & igni interdictum alicui, vel ſi quis deportetur, *d. §. 1.* Minima eſt cum libertas & ciuitas retinetur quidem, ſed ſtatus mutatur vt ſi alterius iuris ſeu poteſtatis quis fiat, veluti arrogatione & adoptione. *l. 3. eo § minima, eod. ap. Iuſtinia* aut emancipatione. Et ita vt ait Auſonius *in Gryphis:*

*Triplex libertas, capitiſq; minutio triplex.*

Vocat autem capitis minutionem Cicero *in Verrem*, ademtionem de capite. Et ciuem indemnatum integri eſſe capitis dixit, *Cic. in Piſonem.* Agnationis ius cum obtinebat in tutelis, capitis minutione tollebatur: & ideo & tutela ex lege duodecim tabularum corruebat etiam ob minimam, *§ ſed agnationis, de legit. agnat. tute.* Hodie quando ex nouis legibus legitima tutela deferatur iure cognationis, ideo ſemper tutela non perimitur ex omni minima capitis minutione tutoris, *l. tutelas, 7. de cap. diminuti. l. 4. C. de legit. tut.* quia cognationis ius non ſoluitur minima minutione, ſoluitur autem maxima & media, quod pertinet ad iura ſucceſſionis & tutelarum, *§. fin. de cap diminut. § ſed & capitis, quib.*
*mod. tut. finit. l. 1. C. de here. inſtit. l. 1 in fine, ad Tertu. P.* Pupilli † pu- 5
pillæve omnis capitis minutio etiam minima tollit omnes tutelas, *d. § ſed & capitis, & §. item finitur, quibus mod. tut. finit. l. ſi arrogati. de tutel. in P. l. fin. C. de auth. præſtan. l. legitimam tutelam, de legit tutor P.* Si tutor quoque in adoptionem ſe dederit perit legitima tutela eius, non aliæ, *d. §. ſed & capitis, l. tutelas, de capitis diminutio. P.* Ad ſeruitutem pertinet capi ab hoſtibus, ideo & eo caſu finitur tutela, *§. item finitur quib. mod. tut finit.*

¶ Finitur † tertio tutela, naturali morte tutorum vel pupillo- 6
rum, *§ ſimili modo, quib. mod. tut. finit.* Verum morte tutoris legitimi, tutela legitima in eius liberos, ſi idonei ſint, transferri videtur: non autem aliæ tutelæ, teſtamentaria vel datiua, *l. tutela vt plerunque, de tutel. P.*

¶ Quarto, † ad tempus, vel ſub conditione conſtituto tutore, 7
tutela elapſo tempore vel cedente die perimitur, *§. ſed & ſi, verſ. præterea & § pen. quib mod. tute. finitur.* Receptum enim eſt tutores dari poſſe ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel ſub conditione. *§ ad certum qui teſta. tuto dar. poſſ.*

¶ Finitur † & quinto tutela, quando tutores remouentur vt 8
ſuſpecti *§. final. quib. mod. tut. finit.* Sed hæc hactenus de tutoribus ſeorſum. De curatoribus nunc agamus. Porro de actionibus quę pro tutela & cura dantur, poſtea ſequente libro, Deo fauente, in fine tractabimus.

# DE CVRATORIBVS ET CVRA EORVM, LIBER XIII.

## De Differentia & Conuenientia tutelæ, & curæ, & quot ſpecies curæ. Cap. 1.

1 *Tutor gerens finita tutela tenetur, vt negotiorum geſtor.*
2 *Cura quid, & quomodo differat a tutela: quod hæc præcipue bonorum, tutela perſonarum.*
3 *Curæ & tutelæ conformitas.*
4 *Curæ & tutelæ differentiæ.*
5 *Curatorum ſpecies, pupillorum minorum, furioſorum, &c.*
6 *Communia omnibus curatoribus ſatiſdatio, inuentarii confectio, poſſunt vt ſuſpecti remoueri, perſonalia gerunt munera.*

1 POſtquam † in ſuam tutelam peruenit minor, deſinit officio ſuo fungi tutor, neque amplius talis dicitur: etſi in adminiſtratione ſua perſeueret tunc non tutelæ actione, ſed negotiorum geſtorum Iulius Paulus teneri eum pupillo reſpondit, *lib. 1. recept. ſent. tit. 4 c. 1.* Exemplo eius qui pro tutore vel curato-
2 re minore ſe geſſit, *idem vbi ſup. c. 8.* ¶ Sequitur † autē tutelā cura, quia cura eſt tutela bonorū potiſſimum, & per conſequentiam perſonarū: vt tutela pcipue perſonarum, & per conſequentiam bonorū *l. ſciendū, 20. de rit. nupt in P. l. in copulandis. 8. C. de nupt. l. conſilio, 7. de curat. fur. C.* In multiſq; conueniunt. & fere omnia q̄ de tutoribus pupillorū dicta ſunt, in curatoribus minorū locum
3 habent. *l. 1 de adminiſt. tut. l ſi tutor 1, C. eo.* ¶ Et † tituli qui de tutoribus pollicentur tractationē, adiungunt & curatores: vt in epigraphe, *de adminiſtratione tutorum vel curatorum: de tutoribus & curatoribus datis ab iis, &c. de excuſ. tut. vel curat. cum ſimil* Dantur & ab iiſdem magiſtratibus curatores, a quibus tutores, *§. 1. de curat.* excepta cauſſa teſtamenti, *l. 7 en. §. fi. de teſtam. tute.* quamuis & in teſtamento datus confirmetur per inquiſitionem, *l de creationibus, de epiſc. aud C.* Quinimo & ſæpe ſimul ſint, & cum habenti tutorē tutor ſuperaddi non poſſit, curator tutelæ iūgitur, *§. interdum de curat. l. 1. 2 5. in quib. cauſ. tuto hab. cura der poſ. li. 5. C. ti. 36.*

¶ Differunt † tamen in paucis, & proinde ſeorſum curæ ſin- 4
gularia nobis tractanda ſunt. Nam vt dixi proxime, tutor teſtamēto datur curator nō vtiq; ſine confirmatione. Secundo, tutor inuitis datur: curator minime præterquā in litē, *§. item inuiti, de curato. l. 3. § pen de tutel. in P.* Tutor tertio rebus omnibus & vniuerſis tantum pupilli datur. *§ datus de excuſ. tuto.* curator & vniuerſis & ſingulis dari poteſt, *§. 1. de curator.* Quarto, tutor principaliter perſonis datur: curator rebus, *l. ſciendum, de rit. nupt. l. cum plures. 12. § 3. de adminiſtrat. tutor. in P. l. in copulandis, C. de nupt.* Quinto, maior poteſtas tutoris, quam curatoris *d. l. in copulandis.* Sexto, tutores in negotiis contrahendis interponunt auctoritatem: curatores tantum conſenſum, *l. cum in vna. 17 § 1. de appellat. & relat. in P. rub. de auct. tuto. & conſen. curat. in P.* Non eget enim approbatione pſonæ minor, qui legitimā habere dicitur, dum in ſuam venit tutelā. Sed eget conſenſu ratione conſeruationis rerū curatoris neceſſario ad inſtar auctoritatis, ſi alienet: non a. ſi quærat, quia ſine curatore recte contrahit, & ſe obligat,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN